DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHOIDIBUS EXCEDENTIBUS,
QUAM
DEO PROPITIO
ET
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO CAROLO,
PORUSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
POTENTISS. REGIS PORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,
PRO LICENTIA,
Ad d. April. M DCC XIIX. horis ante & pomeridianis,
Publicæ ventilationi submittet
HIERONYMUS FISCH,
AROVIO - HELVETUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

PROOEMIUM.

QUid miraris? quid stupes? Pompa est! ostenduntur istæ res, non possidentur & dum placent, transeunt: ad veras potius te convertas divitias: disce parvo esse contentus: aurea hæc exclamatio & admonitio Philosophorum Principis est *Senecæ*, quam in *Epist. 110.* proponit: quæ quemadmodum in hac rerum humanarum vicissitudine ferme indies & in quolibet vitæ humanæ statu applicari potest, ita eo magis commendari & inculcari meretur, ut insatiabilis hominum animus paucis contentus esse discat: Etenim vana & sordida cupido possidendi multa & non modo multa, sed & superflua, ita communis est, ut plurima hominum turba non modo multitudinem bonorum, tanquam essentialem vitæ humanæ partem æstimet, sed & si multa possidet, superfluorum possessionem anhelet, adeoque animum constanter in multitudines immergat, de eo maxime tristetur, quando non tanta copia & congerie, ac alius, gaudet, cum tamen Philoso-

phus dixerit, quod res istæ ostendantur, non possideantur, quod transeant, dum placent, quando insonabit vox illa *Luc. 12. v. 20. desipiens, hac nocte animam tuam repetunt abs te, quæ vero parasti cujus erunt? neque timeto, cum dives evaserit quisquam, cum aucta fuerit gloria domestica eius: non enim in morte sua assumpturus est illius quicquam, non descensura est post eum gloria ejus Psalm. 49, v. 17. 18. conf. Hiob. 27. v. 19. Quemadmodum prodiit ex utero matris suæ, nudus iterum abit, ut venerat, & quicquam non reportat labore suo, quod deferat in manum suam Eccles. 5. v. 15. conf. Hiob. 1. v. 21. 1 Tim. 6. v. 7.* quid miraris itaque quid stupes? Pompa est! recte Philosophus dixit: & adhuc quilibet verus Philosophus dicit. Quod genericè Seneca sapienti hoc dicterio confessus est, id ad specialiores circumstantias applicare placet, videlicet ad statum vitæ animalis & sanitatis, in quo licet sæpe eximia integritatis documenta conspiciantur, tamen etiam sæpe ejusmodi res tantum ostenduntur, neque diu possidentur, sed brevi evanescunt, atque fragilitatem & incertitudinem lubricæ felicitatis humanæ attestantur: Quid juxta vulgarem opinionem in œconomia vitali melius esse potest, quam sanguis multus, copiosus & floridus, qui vero quam fugitivus sit in hac integritate, quotidiana illius consumtio & conversio in maxime perniciosum serum, confirmat & commonstrat: & notatu digna est *Hippocratis* animadversio, quam proponit *Sect. I. aph. 3.* quando dicit: *in exercitantibus boni habitus, ad summum progressi periculosi sunt, si in extremo fuerint: non enim manere possunt in eodem neque quiescere: cum vero non quiescant, non amplius in melius augescere possunt, reliquum est*

eſt igitur ut in deterius: ob hanc cauſam bonum habitum non tarde ſolvere confert, quo corpus rurſus renutritionis principium ſumat; quare ſane illi, qui ſuperfluo & optimo ſanguine gaudent ejusmodi ſubjectum conſtituunt, de quo exclamare licet, quid miraris? quid ſtupes? Pompa eſt! ſed ſicut juxta eundem *Senecam Epiſt. 116. nullum vitium eſt ſine patrocinio*, ita paſſim de multitudine ſanguinis, aut ſuperflua plane illius copia, eximia occinuntur elogia, ſub tegmine vulgatorum illorum dicteriorum, *quod Deus & natura nihil faciant fruſtra, quod ſuperflua non noceant*, de qua vero eximia & ſplendida copia atque farragine reſonat, illud Senecæ, dum placet, tranſit, quin damna ſæpius & potius quam commoda infert. Etenim natura humana haud ita infallibilis & perfecta eſt, quin interdum perverſè operetur & ſuperflua producat, quæ tamen viciſſim ſæpè tantum apparatum modo oſtendit iterumque ut inutilem removet & excludit, teſtimonio ſpontanearum Hæmorrhagiarum: hoc eſt quod Seneca dixit, *diſce parvo eſſe contentus*, imo quod in vulgari dicterio commendatur, *quod natura etiam paucis ſit contenta, & quod omne nimium in vitium vertatur:* Error quidem eſt, quod homines plus ingerant, quam neceſſe habent: erroneum eſt, quod in ſuperflua quantitate ſanguis formetur; tamen in ejusmodi ſtatu moleſtæ plenitudinis ſalutare eſt, ſi id, quod abundat, iterum tempeſtivè & congruè depletur & removetur: nam ſuperflua illa quantitas naturæ humanæ oneri eſt, moderata vero copia neque vires naturæ aggravat, neque motuum vitalium & ſalutarium effectuum legiti-

mos succeſſus impedit & turbat: *tenenda itaque nobis hæc via*, dicit *Seneca Epiſt. 122, quam natura præſcripſit, nec ab illa declinandum; contra illam nitentibus non alia via eſt, quam contra aquam remigantibus.* Quam ſalutaria vero hæc præcepta ſunt, quod nimium non ſit ingerendum, quod ſuperfluum ſit removendum & non retinendum, tam periculoſum & pernicioſum illud eſt conamen in ordine naturali, ſi homines in neceſſaria, debita, convenienti & ſufficienti ingeſtione deficiunt, & ſi in excretione natura humana in tantum excedit, ut non modo ſuperfluum excutiat, ſed & utile atque neceſſarium eliminet, ubi fruſtra ingeminat Germanorum dicterium, **man könne des Guten nicht zu viel haben.** Et quemadmodum corrupta natura in uno negotio errare poteſt & ſolet, ita in omnibus reliquis functionibus ſive ordinariis ſive extraordinariis deflectere poteſt æque atque ſolet, ſicut diverſimode & frequenter exceſſus in evacuationis negotio contingunt: quam ſalutaris vero & proportionata eſt ſuperflui exoneratio, tam temeraria & immoderata, propetereaque nociva eſt, neceſſariæ penus dilapidatio & prodiga diſperſio, quæ tamen interdum ſalutarem intentionem involvit, aut ex ſalutari deſtinatione ortum traxit, cujusmodi paralleli actus non raro in moralibus operationibus obtingunt, qui nonnunquam ſub bona intentione ſuſcipiuntur, ſed in ſuo progreſſu adeo alterantur, ut in exceſſum degenerent. Et quis ita promiſcuè evacuationes boni cæteroquin humoris damnare poterit, quando ipſe ſuperfluus fuit, neque etiam incommoda & moleſtiæ, quæ interdum extraordinariam evacuationem comitantur, ita exoſam il-

lam

lam reddere debent, cum denuo verum ſit illud *Senecæ*, quod in *Epiſt. 96.* exprimit: *volebam vivere, carere tamen omnibus incommodis: tam effœminata vox virum dedecet:* neque ullum commodum deprehenditur, quod non ſecum ferat incommodum; hinc ſuperfluorum excretiones minimè ita anxiè abhorreſcere convenit, cum talis operatio ſit ſanitatis teſſera & eximia commoda poſt ſe trahat. Non eſt quo latius in generica tali commendatione hæreamus, licet omnino in Theoria medica hæc veritas inculcari debeat, nos potius convertimus ad ſpecialiorem Hæmorrhagiarum & inter has ad Hæmorrhoidum diſquiſitionem & indolem, quæ an ſuperfluum, inutilem, moleſtum & cum tempore perniciofum ſanguinem ventilent atque eliminent, ipſe ille ſolennis & notatu dignus effectus atteſtatur, quod Hæmorrhagiæ tales legitimè decurrentes non modo nihil noceant, ſed & poſitive proficiant, quippe qualis eventus minimè fortuitæ occaſioni & viciſſitudini imputari poteſt, ni placuerit tenacius opinionibus inhærere & ſimplici veritati, apprimè demonſtrativæ, repugnare: Neque quidem animus nobis eſt, multis elogiis Hæmorrhagiarum & Hæmorrhoidum ſalubritatem deprædicare & commendare, ſed potius advertemus illam Hæmorrhagiarum faciem & conſtitutionem, quam vulgo in ſchola medica metuunt & averſantur, videlicet exceſſivum earundum ſucceſſum. Dolendum meritò eſt, quod in negotio quodam diſquirendo & explicando animus humanus in vitioſis qualitatibus cernendis non rarò lynceis oculis utatur, in ſalutaribus vero qualitatibus

tibus & virtutibus obſervandis talpa cæcior exiſtat: cui non facilè innoteſcere poteſt, quod trivialis theoria Hæmorrhagiarum & Hæmorrhoidum utplurimum in periculoſis & vitioſis progresſibus exponendis & prodendis maximam operam adhibeat: ſalubritatem vero earundem latius inculcare, quidni in multorum mente idem ſit, ac æthiopem dealbare & vitiis patrocinari velle: ita orba ac deſtituta eſt ejusmodi perluſtratio ingenuitate & dexteritate in comprehendendis actibus non nudi & crudi corporis, ſed quam multi & non niſi in necesſitatis caſu tanquam refugium venerantur, benignæ naturæ: imo cum interdum bona malis mixta eſſe deprehendantur, ita miramur, qui in excedentibus Hæmorrhagiis & Hæmorrhoidibus multi tantum id perſpiciant, exaggerent atque damnent, quod abſolutè malum pravum & pernicioſum eſt, & ex hoc totum reliquum hujus negotii ſtatum contemnant atque rejiciant; quaſi ſub reliquo exceſſu planè nullus bonus & laudabilis reſpectus lateat. Induxit itaque nos hæc communis labes, quo digitum admoveamus ad ulteriorem Hæmorrhagiarum imprimis Hæmorrhoidum repurgationem, ne opinionum fæces earundem veram indolem commaculent & peſſundent: & cum excesſivus Hæmorrhoidum fluxus multos perterreat, laborabimus hoc loco pro tenuitate noſtra & virium modulo, quo de HÆMORRHOIDIBUS EXCEDENTIBUS præſenti Inaugurali ſpecimine ita diſſeramus, ut veritati medicæ tuendæ & confirmandæ inſerviamus: Deus vero Clementisſimus, Pater luminum

num & fons veritatis impleat & protegat nos ſpiritu ſuo, quo de utili hac conſideratione ita tractemus, ut honor illius & proximi ſalus augeatur.

§. I.

EXceſſivum *Hæmorrhoidum* fluxum exponentes pro *digna* hanc declaramus tractationem, ut mox in limine patefiat, in quantum hic enormis atque *prodigus* fluxus cum *legitimo* & ſalutari *conveniat* vel ab eodem *diſcrepet*: non quidem in ſchola medica *rara* & *ſelecta* eſt hæc animadverſio atque commendatio, ſed ſane valde frequens, ita ut in negotii hæmorrhoidalis commentario una è *principalisſimis* hæc ſit obſervatio, quæ mox plenis buccis declamatur & diffuſis theoriis inſtructa propalatur: inde mirum non eſt, cur ſæpe jucunda illa vox quæ *ſalubritatem* Hæmorrhoidum annunciat, adeo deſolata, *obſcura* & *ſcandaloſa* multis reſonet, cum vulgò non niſi *exceſſus* & *dolores* atque *furores* Hæmorrhoidum cogniti deprehendantur: ne vero Hæmorrhoidibus quoad omnes circumſtantias *patrocinari* videamur, annitemur impræſentiarum quo *vitioſum* eorundem ſucceſſum indicemus & explicemus, ſed ne iterum *vulgaribus* opinionibus nimiam fidem tribuamus, quæ omnem Hæmorrhoidum ſucceſſum exoſum reddunt, laborabimus quo *mediam* teneamus viam & pro cujusvis circumſtantiæ ratione ſentiamus, diſſeramus & judicemus. Digna itaque præſens hæc eſt diſquiſitio, quo recte innoteſcat, quid verè ita dicendus *Hæmorrhoidum exceſſus* ſit; nam ſi ex *præconcepta* quadam ſententia Hæmorrhoidum *fluxus* promiſcue pro *excesſivo* habetur, facile per *incongruam* tractationem adeo offendetur, ut *luctuoſi* eventus exinde emergant: neque exiguus error è *vulgari* excedentium Hæmorrhoidum deductione & dijudicatione redundat, quando animus tantum *materialibus*

causis, qualitatibus & *nudè physicis* respectibus implicatus est, dignam vero alteram illam *motuum efficaciam* negligentius tractat atque perpendit, sed horridos & miserè contortos atque extortos effectus ab *effictis* talibus qualitatibus commemorat atque obtrudit, & ita sub *larva veritatis* audacter & impudenter superbit, dum contra genuina hujus negotii historia totam illam portentosam & speciosam chimæram decollat & prosternit: ob id dignam hanc judicamus tractationem, quo iterato & ingenuè inculcetur, ut *accidentalis* illa ratio *concurrentis excessus* à *legitimo successu* debitè discernatur, quo imposterum prudentia illa adhiberi queat, ne salutaris successus cum præjudicioso excessu simul & semel turbetur, atque ita tota reliqua Hæmorrhoidum utilitas atro carbone depingatur, omnibusque adversa & exosa reddatur: quibus animadversionibus, pro dignitate hujus thematis pugnantibus, adhuc illam disquisitionem annumeramus, quo videlicet paulo curatius *ordo* ille atque *progressus* patefiat, in quo *excessiva* Hæmorrhoidum profusio experientiæ medicæ unquam innotuit, siquidem in hac utili perlustratione evitari potest confusus ille conceptus, quasi Hæmorrhagiæ cum *vana* turbulentia & *vago* atque irrationabili *tumultu* in excessus tales degenerare soleant; cum vicissim juxta hanc præsentem annotationem *subtiliores*, *intimiores*, & interdum planè tacitæ causæ, (quam nudè *crassi* atque crudi impulsus, impetus, *nisus* & *trusiones*) quæ cum *vita* & conditionibus hominis & subjecti *vivi* & *rationalis* plus & rectius aut verius congruunt, inclarescant.

§. II.

Cognoscitur ejusmodi *excessivus* Hæmorrhoidum fluxus è *prodiga* illa atque *superflua* sangvinis hæmorrhoidalis profusione, in qua diversæ peculiares circumstantiæ annotandæ sunt: etenim 1) Hæmorrhoides vel *simul & semel* prodigè perrumpunt & in *pauco* temporis ambitu *excessi-*

væ evadunt. 2) vel absque tali ſimultaneo ſucceſſu nimio, *diutius* quam convenit & proficit, continuant & hac *diuturnitate* in *exceſſum* degenerant. 3) vel interdum per *tacitas* commotiones in exceſſivum talem fluxum deducuntur. 4) interdum etiam per *impetuoſiores* motus, ſontica ſymptomata conſtituentes, abſolvuntur. 5) aliquando nimis *frequenti recurſu*, exceſſivum talem decurſum atque ſtatum inducunt, & ita diſcretas tales circumſtantias involvunt: Multum vero porro refert talem exceſſum in negotio hæmorrhoidali recte intelligere, ubi notatu digna eſt *differentia*, quæ in praxi medica multam utilitatem habet, qua *largior* fluxus hæmorrhoidalis à *prodigo* ſive *exceſſivo* omnino diſcrepat; etenim illi, qui adeo anxiè & horridè Hæmorrhagias *indiſcretim* expaveſcunt, præmaturo tamen metu, ex præconcepta opinione profluente, quamlibet *liberaliorem* ſanguinis excretionem, pro immodica & *exceſſiva* judicant atque *præmaturè* obruunt & *deobſtruunt*, quæ tamen vel *turgidiori* ſtatui plethorico ſubjecti & *activiori* ejusdem indoli correſpondet, ita ut ob tales conditiones fluxus hæmorrhoidalis vix *tantum* proficeret, ſi *parcius* proceſſerit, neque paulo *majori* copia & liberiori *continuatione* decurrerit: quod ſi itaque ejusmodi neceſſarius & ſalutaris fluxus, licet paulo copioſior fuerit, pro *exceſſivo* tractetur, tunc *ſalubritas* ex eodem expectanda non modo deſtruitur, ſed ita *convertitur*, ut pernicioſi effectus conſequantur: deinde etiam in Hiſtoria Practica admodum commendanda eſt illa obſervatio, ne *exceſſus* Hæmorrhoidum accuſetur, ubi *proximiores* directiones & applicationes *hæmorrhoidales* planè deficiunt: etenim evenit interdum, ut ſanguis in *ſuperiori* inteſtinorum tractu intra eorundem *cavitatem* erumpat, neque circa *hæmorrhoidalia* vaſa apertionem nanciſcatur, adeoque ſurſum *intra ventriculum* cum multis anguſtiis tranſprimatur & denique in *vomitum cruentum* exeat, qui vero nonnun-

quam, licet quidem rarioribus casibus, etiam per *secessum* dejicitur, ita ut *sursum* & *deorsum* sanguis expellatur, copia admodum notabili, imo *excessiva:* in quo casu præsentes circumstantias providè discernere convenit, siquidem haud *Hæmorrhoidum* excessus inculpari potest, quin totum tale schema ad acerbiorem *vomitus cruenti* statum pertineat, quando eruptio sanguinis in *superioribus* regionibus contigit, cujusmodi observationes alibi in historia medica & collatione scrutinii anatomici constant: neque alium *cruentum alvi fluxum* cum *Hæmorrhoidum excessu* confundendum esse judicamus, quando post ingesta *corrosiva*, septica metallica aut *virulenta* ita dicta subjecta, sub extremis cruciatibus atque convulsivis torsionibus enormi copia *sincerus* sanguis, interdum cum *bile* mixtus, exturbatur, aut quando per qualemcunque aliam *hypercatharsin* talis cruenta dejectio provocatur: ut nihil hoc loco de *dysentericis* fluxibus dicamus & adjiciamus; unde tantum de *genuino Hæmorrhoidum excessu* differimus.

§. III.

Sicut vero principales aliquot *differentias*, ad præsentem tractationem pertinentes, perspeximus & breviter commendavimus, ita nunc paulo propius notabimus, quænam *generales* circumstantiæ & *rationes* ejusmodi sanguinis fluxum excessivum prodant & referant esse *hæmorrhoidalem*, ne in negotio hæmorrhoidali recte agnoscendo, illustrando & exponendo impingamus & hæreamus; ob id in sequentibus circumstantiis attentionem adhibere & exercere conveniet: 1) an in subjecto illo, in quo talis cruentus immodicus secessus adest nullæ notabiles causæ præcurrerint, quæ *citra directionem* & destinationem *hæmorrhoidalem*, talem cruentationem prouocare possunt, uti præter ante dictas occasiones, graviores *obstructiones hepatis* tantum valent, quo *mesentericæ* & aliæ *intestinorum* venæ, perrumpant, dum è *trunco Venæ Portæ* sangvis hepar *obstipatum* & oc-

clusum

clusum non facile, liberè, citò & sufficienter *ingredi* potest, ob id ad intestina *regurgitat* & restagnat, dum ad *orificia* venarum illarum indesinenter *affluit*, unde interdum vel *sua sponte* talis eruptio sangvinis *intra intestina* contingit, vel si alvum moventia aut adstringentia remedia & famosa martialia exhibentur, quæ intestinorum *tonicum* motum augendo aut plane *exacerbando* eò facilius modò *inturgescentium* orificiorum talium venularum, aut ipsorum capillarium ramularum *aperturam* inducunt & accelerant: proinde extra hæmorrhoidalem destinationem cruenta talis alvina dejectio fieri potest, quando graves abdominis *contusiones* præcesserunt, imprimis in subjectis admodum *plethoricis*, de quibus vulgò dicunt: Die Leber sey zerfahren: qualia rariora exempla ex observatoribus non modo facilè colligi possunt, sed & aliqua eorundem nobis constant: sicut ex *colliquatione* intestinorum in *hydropicis*, ex aperto *abscessu* intestinorum, ex *fistula ani* in cavitatem intestini transeunte & improvidè tractata, similes catotericæ *cruentationes* ab *hæmorrhoidali* negotio *alienæ* in historiis medicis recensentur, ut commemorationi aliarum similium infrequentium causarum hoc loco supersedeamus, quia directè ad scopum nostrum non pertinent: in ejusmodi vero causis agnoscendis & ritè applicandis præstat curatius evitare præconceptas opiniones, ne occultas nobis quasdam rationes, à veritate rei penitus alienas, fingamus, quando forte animus vulgatis illis assertis obsessus est, quod negotium hæmorrhoidale *rarius* occurrat, aut quod illud *fortuitis* casibus & effectibus adscribi debeat, unde evenit, ut propter tale præjudicium animus confestim in alias phantasias delabatur atque cæspitet & modo sanguinis *acrimoniam* corrosivam, modo confusas & hostiles *vellicationes* generis *nervosi*, modo horridas *indifferentes obstructiones*, modo alios ænigmaticos, parabolicos & hieroglyphicos fiendi modos, excogitet & proponat.

§. IV.

Præterea etiam confert in hac disquisitione, an dejectio alvi excessiva & cruenta *hæmorrhoidalis* existat 2) perpendere, an subjectum ratione habitus corporis sive *temperamenti* conveniat cum illis, quibus *Hæmorrhoides* familiares esse observantur. 3) an etiam *ætas* conveniat in individuis cum illa, quæ fluxui *hæmorrhoidali* competit. 4) an *sexus* etiam in subjecto testetur, quod fluxus ille hæmorrhoidalis existat: 5) an *unquam* legitimus & *moderatus* Hæmorrhoidum fluxus *præcesserit:* 6) an illi *apparatus* & motus etiam *concurrant*, qui fluxum *hæmorrhoidalem* aliàs *comitari* solent: 7) an *prægressæ* sint tales *causæ*, quæ non modo *in genere* ad Hæmorrhagiarum concitatiores & impetuosiores fluxus contribuunt, sed ad *Hæmorrhoides* impellendas quadrant: 8) an forte ratio *hæreditariæ* dispositionis coincidat, dum parentes affectibus *hypochondriacis*, *hystericis*, *podagricis*, *ischiadicis*, *nephriticis* aut perfectè *hæmorrhoidalibus* vel *colicis hæmorrhoidalibus* laborarunt: 9) an in subjecto *præcesserint molimina* ad hæmorrhoidale negotium spectantia, colica, hypochondriaca, tenesmodea &c. 10) an *ante* aliquot tempora subjecta observaverint *insolitas* quasdam dejectiones cruentas, quæ vero vel per mala *regimina* vel per iniqua *artificia* corruptæ & tamdiu impeditæ fuerant. 11) an ratione *essentialium* circumstantiarum fluxus talis cum *aliorum* subjectorum *excessivo* Hæmorrhoidum fluxu conveniat. 12) an illæ *partes* nunc *consentire* deprehendantur, quæ aliàs cum *motu* sanguinis *hæmorrhoidali* consensum habere observantur; ubi præcipuus respectus est habendus systematis *Venæ Portæ*, cum *annexis visceribus*: 13) an *diæta*, *regimen* & reliquum *vitæ genus* in subjecto tali ita constitutum esse agnoscatur, quale *Hæmorrhoidibus* provocandis, confirmandis & irritandis quadrat, 14) an talia *animi pathemata* præcesserint, quæ in genere ad *commovendas* & impellen-

das

das *Hæmorrhagias* ſatisfaciunt. 15) an præter ſingulas tales circumſtantias in ſubjecto laborante *luxurioſa* & *libidinoſa* vita præceſſerit, quæ ad *hæmorrhoidales* commotiones exacerbandas apprime confert. 16) neque tantum confert ad illas circumſtantias attendere, quæ *antecedunt* & *concurrunt*, ſed etiam ad reliquas, quæ *conſequuntur*, inter quas illa etiam notatu admodum digna eſt, an poſt ſimplicem hujus fluxus excedentis oppreſſionem & *cohibitionem* talia pathemata ſuperveniant, qualia *turbatos* motus *hæmorrhoidales* inſequi ſolent: 17) an viciſſim ex tali directorio & *tractatione* qualis negotio *hæmorrhoidali* competit, fluxus ille ita in *ordinem* redierit ac aliæ *hæmorrhoidales anomaliæ* mitigatæ & coordinatæ conſpiciuntur. 18) an itaque hic fluxus per talia *offendatur*, quæ *Hæmorrhoidibus* offendendis quadrant, & per illa *leniatur*, quæ *Hæmorrhoides* tranquillant & leniunt. 19) an hic fluxus exceſſivo ſuo decurſu ita planè *recurrat* ac *hæmorrhoidalis* fluxus *periodos* ſuas ſervat: & denique 20) an etiam interdum *tacitè* & ſine *prævio* ſtrepitu, aut cruda & *impetuoſa* cauſa eruperit & promanaverit: hæ ſingulæ circumſtantiæ *normæ* inſtar inſerviunt, juxta quam fluxus talis æſtimandus eſt, ut verè innoteſcat, an *hæmorrhoidalis*, vel alterius indolis ſit.

§. V.

Quanquam vero à plurimis temporibus in ſchola medica major *ſolicitudo* atque *metus*, circa *exceſſivum Hæmorrhoidum* fluxum occupatus, conſpicitur, ita ut haud neceſſe ſit Practicorum *teſtimonia* & ſuffragia congerere, tamen non fruſtraneum & infructuoſum plane erit, quoad *antiquiores* obſervationes aliqua notare & monere: mirari ſane ſubit cur *poſteritas* ævi medici, de negotio hæmorrhoidali diſſerens, majori cum ſtudio atque induſtria animum in *vitioſum Hæmorrhoidum* ſucceſſum immergat, & *legitimum* earundem ſtatum atque connexam *ſalubritatem* parvi æſtimet & ſæpe negligentius tractet, neque ad-

eo cordatè *Hippocratis* exemplum imitetur, qui majori cum cura atque labore *utilitates Hæmorrhoidum* commendare passim svevit: quidquod mirari subit, dum Hæmorrhoidũ notitia è sedula & aurea *Hippocratis* observatione inclaruit, ipse tamen Hippocrates non nisi *encomia* de iisdem conscripserit & posteritati commendaverit, quid quod in *decidendis, connectendis* & explicandis aliis affectibus *Hæmorrhoides* frequentius tanquam *clavem*, pro reserandis *difficultatibus* idoneam, subministraverit: de *positivis* vero Hæmorrhoidum *damnis* & periculosis effectibus vix verbulum prodit & producit, neque de *excessu* unquam tam *terriculosas* animadversiones proponit ac quantæ & quales inter posteros observantur; neque quisquam in animum inducet aut sibi persvadebit, quasi *largus* & *prodigus* Hæmorrhoidum fluxus ingenuo Seni non innotuerit: cum tamen ipse *Epidem. V. §. 10. Text. 13. seqq. de Endemo in Larissa* profiteatur, quod habuerit *Hæmorrhoides* ἰσχυρὰς πάνυ καὶ χρονίσας *valde magnas [impetuosas, vehementes] & diuturnas*, adeo ut *exsangvis* esset & *bilis commota: leniter tamen habebat toto corpore* & *alvus deorsum conturbata biliosa demittebat* & *Hæmorrhoides remittebant:* quando vero inferius de morte patientis hujus disserit, non *vehementes Hæmorrhoides* accusat, sed pergit & dicit: *postea cum Cancer successit* [*Foesius* addit hoc loco aliqua, quæ textus non involvit, quando ita interpretatur: ἔπειτα δὲ ὑπαλειφθέντος καρκίνου, tandem vero ex *irritato medicamentis cancro*, qui cum hac interpretatione *Hippocratis* menti *patrocinari* videtur, quando perniciosum illud *Cancri* accidens non Hæmorrhoidibus, sed *medicamentis* adscribit] *febris irruit, & non dimisit antequam occideret*, quo loco animum magis ad *cancrum* & *febrem* convertit & ab *Hæmorrhoidibus* abstrahit, quasi propter has Endemus non succubuisset, ni *illa symptomata* supervenissent: superius enim ubi de *Hæmorrhoidibus valde vehementibus & diuturnis* loquitur, dicit: *leni-*

ter

ter tamen habebat toto corpore: quo ipſo tantum id innuere volumus, quod Hippocrates minimè *hodiernis* obſervationibus patrocinetur, quæ Hæmorrhoidum exceſſum adeo *extremè* metuunt & tam extremè *periculoſum* depingunt: neque in hoc ſtatu Senex culpari poteſt, quaſi certa *opinione* occæcatus non aliter ſentiret, cum potius dexteritas illius ita probata ſit, quod ſimplici, plano & perſpicuo ſtilo non niſi *ſpeciem facti* & *obſervationes practicas* commemoraverit, in tantum vero a *præconceptis* opinionibus totus *alienus* fuerit, quin potius interdum de re *infallibili*, de facto & obſervato phænomeno *antiquas* & obſoletas ſuas ſententias proferat: in quantum vero etiam in hac circumſtantia poſteritas ab Hippocratis exemplo ſæpè diſcedat, ipſum hoc negotium hæmorrhoidale atteſtari poteſt, quando ex illa ſpeculatione Hæmorrhoides *damnantur*, quia ſangvinem, tanquam *formalem* vitæ & *eſſentialem* cauſam atque ſpirituum promptuarium ac penum profundant.

§. VI.

Quod vero Hippocrates in hac conſideratione non ſatis expreſſe egiſſe legitur, id *Galenus* ſuppleviſſe videri poterit, quando non modo *exceſſivæ* profuſionis *hæmorrhoidalis* mentionem injicit, ſed & illius *damna* preſſius commemorare nititur, ſiquidem *Lib. II. de Facult. Naturalib. cap.* 8. dicit: *ſiquidem ex diuturnis Hæmorrhoidibus vel ſuppresſis vel immodica profuſione Hæmorrhoidum ad extremam frigiditatem ducentibus, non ſemel aut bis ſed ſæpe jam aquam inter cutem collectam vidi, ſicuti mulieribus quoque tum menſtruæ purgationis omnimoda ceſſatio tum immodica vacuatio, cum ſcilicet nimio ſangvinis profluvio laborarunt ſæpe hydropem accerſiverunt*: quem locum pro themate elegit *Zacutus Luſitanus Med. Princ. Hiſt. lib. II. hiſt. 116.* qui etiam *Aetium* teſtem convocat: & ita etiam *Riverius* tractationem ſuam de *Hæmorrhoidibus* exorditur: *licet moderatus Hæmorrhoidum fluxus ſalutaris ſit & à multis morbis iisque*

gravissimis homines præservare ac liberare soleat &c. immoderatus tamen periculosissimus est, aliosque morbos perniciosos inducit, nempe totius corporis imbecillitatem omnium viscerum refrigerationem & præsertim hepatis, atrophiam, cachexiam, & hydropem propter caloris nativi deperditionem effuso vitæ thesauro & totius corporis fomento: quo pertinent suffragia *Galeni de curandi ratione per sangv. miss. cap. 19. & com. 37. Epid. lib. 3. Paulus Lib. 3. cap. 59. Aetius Lib. 14. cap. 5. Vidus Vidius de curat. Lib. 9. c. 28.* consentientibus *Iohan. Raym. Fortis*, *Hollerio*, *Sennerto*, *Platero* & multis aliis, adeo ut ex tantorum virorum, Medicorum, Practicorum illustri testimonio comprobemus quam *cognita* & perspecta non modo in medicina sit tractatio & observatio *Hæmorrhoidum excedentium*, sed & quomodo tantos viros minime lateat, qualia *incommoda* unquam observata & annotata fuerint, quæ *excessivum* talem fluxum consequuntur: neque æque tali declaratione id intendimus, ut commonstremus, quomodo excessivi Hæmorrhoidum fluxus notitia in schola medica admodum *famigerata* sit, siquidem nullus fere medicus erit, cui non cognitum sit, quod Hæmorrhoides unquam in excessu peccaverint: illud tantum commonstrare laboravimus, quomodo post Hippocratem adhuc longè *aliæ observationes* de Hæmorrhoidibus propalatæ, imò quomodo post illa tempora reliquæ observationes de *insalubritate* Hæmorrhoidum *frequentius* reliquis annotationibus, Hippocratis industriæ magis quadrantibus, præmissæ fuerint, ita ut, dum *Hippocrates* indicavit, quod Hæmorrhoidum *suppressio* hydropem provocaverit, mox posteritas quasi per modum austeræ collisionis & oblocutionis *reclamaverit*, quod Hæmorrhoidum *fluxus*, videlicet *excessivus*, hydropem excitaverit: & quanquam minimè posteritati *repugnare*, ejusdemque experientiam in *dubium* vocare velimus, sed illius dexteritatem in tali observatione approbemus, tamen

Hip-

Hippocratis *silentium* non pro *ignorantia* agnoscimus, quin magis in partes Senis venerabilis & in hoc negotio admodum fide digni descendimus, quam terriculosas tales Hæmorrhoidum explicationes producimus, ad minimum non *confestim* tales horridos eventus metuimus, quales non raro satis *indiscretim* ex Hæmorrhoidum fluxu cum rugosa & superciliosa fronte recitantur.

§. VII.

Dum *in genere* præsentem tractationem de Hæmorrhoidibus excedentibus prælibamus, adhuc hoc loco atque ordine præmittemus illam considerationem, qua circumspiciemus, *quænam Hæmorrhoides* excedere deprehendantur, an *internæ* an vero *externæ* existant, utpote quæ notitia ad penitiorem illustrationem præsentis negotii spectat: brevibus vero notamus & asserimus, quod *internæ Hæmorrhoides* in talem excessum delabi advertantur, minus vero externæ; ubi minimè illam sententiam amplectimur quasi profusio hæmorrhoidalis *externa* è venulis & propaginibus venæ hæmorrhoidalis *internæ* in *exteriori* intestini recti limbo atque tractu decurrentibus proveniat: quod vero magis *internæ Hæmorrhoides* excedere conspiciantur, quam externæ, sequentes rationes evincunt atque comprobant: 1) quia Hæmorrhoides internæ *facilius* erumpunt quam externæ, 2) quia *copiosius* ordinarie fluunt quam externæ, 3) quia ad easdem sanguis *majori quantitate* congeri potest, quam ad externas 4) quia *illæ partes* maximè compatiuntur, quæ de *Hæmorrhoidibus internis* participant 5) quia *apparatus* ad excedentes Hæmorrhoides magis *interni* quam *externi* sunt, 6) quia hi præmaturè aut repentè & simul & semel *oppressi*, partes *internas* maximè affligunt & offendunt. 7) quia *legitimè* tractatus talis *excessus* hæmorrhoidalis *internorum* viscerum functionibus velificatur. 8) quia hic fluxus citò & efficaciter *cohiberi* potest, per remedia *internis* hisce par-

tibus ſtricturam inferentia, minus vero ita facile per reliqua aut alia. 9) quia in ſubjectis ex Hæmorrhoidum exceſſu *demortuis* interna viſcera cum *Vena Portæ* connexa maximè *depleta* & ſufficienti ſanguine deſtituta conſpiciuntur. 10) quia hic fluxus non circa *limbum* ani, ubi venæ hæmorrhoidales externæ inſertæ ſunt, ſed *intimius* accedit, ubi ramuli hæmorrhoidalis *internæ* venæ ſunt: 11) quia per illas *cauſas* maximè provocatur, quæ magis in *internas* partes operantur, easdemque commovent atque ſtimulant. 12) quia utplurimum internæ tales commotiones etiam concurrunt & continuant, quæ ad *internas Hæmorrhoides* pertinent. 13) quia imprimis citò ab *exceſſu* hæmorrhoidalis fluxus *Hepar* in *conſenſum* trahitur, utpote quæ pars cum aliis irregularitatibus *hæmorrhoidalibus internis* citius communicat: 14) quia etiam interdum in ejusmodi ſubjectis idem hæmorrhoidalis fluxus internus, ab exceſſu vero liber, *præceſſit:* 15) quia hac ratione interdum ex offenſis *hæmorrhoidalibus internis* commotionibus atque fluxibus *ortum* traxit: 16) quia cum pathematibus ad Hæmorrhoides *externas* ſpectantibus neque *citò* neque *facilè* alternat atque *colludit*: 17) quia huic *ætati* magis obtingere videtur *exceſſus* hæmorrhoidalis, in qua ordinariè uſitatius *internæ* Hæmorrhoides fluere ſolent: 18) quia etiam obſervatus fuit ex repentina *ſuppreſſione* in *vomitum cruentum* tranſiiſſe, qui alias cum *Hæmorrhoidibus internis* ratione metaſchematiſmi & converſionis motuum cohærere conſpicitur: qua occaſione denuò incidimus in locum *Hippocratis* ſuperius allegatum *Lib. V. Epidem.* quando de hæmorrhoidario Eudemo ſuo, qui valdè *impetuoſas* & *Chronicas* Hæmorrhoides habuit, dicit: *Hæmorrhoides intumeſcebant*, (nam eo ipſo ſubſiſtebant) *pharmaco deorſum purgante poto probe depurgatus eſt* (cur quæſo denuò Hippocrates alvum provocavit?) *& rurſus bibit ſuccum & amplius alvus turbata eſt, & dolor ad præcordia ad-*

erat

erat: in hoc Hæmorrhoidibus manus eſt admota (quæ quæſo connexio erit perſpicienda: dolor ad *præcordia* conſiſtebat & Hippocrates manus ad *Hæmorrhoides* iterum admovet?) *cum male quodammodo venter affectus eſſet & amplius curatione opus eſſet, ac vomitus afflixit:* (unde hic *vomitus?*) ex qua Hippocratis animadverſione ultimam hanc noſtram circumſtantiam quantiſper adumbrare placuit.

§. VIII.

Sed ne diutius in generali præſentis thematis commendatione hæreamus ordo poſtulat, quo ad ſimplicem *excedentium Hæmorrhoidum Hiſtoriam* texendam & recenſendam nos convertamus, in quo propoſito ante omnia monemus, quod ſermo nobis ſit de Hæmorrhoidibus, quæ ab *intra* erumpunt & *exceſſivè* poſtea fluere continuant, cum nobis bene cogniti ſint illi effectus & eventus, quando Hæmorrhoides *externæ* immoderatius *furentes* & eluctantes, ſed non ſpontè ad eruptionem pertingentes ſub hoc furore & impetuoſa commotione congeſtoria *artificioſe* ſed paulò etiam minus *providè*, quin magis *immoderatè* aperiuntur & diſcinduntur, aut quando talibus Hæmorrhoidibus *hirudines* antea valde *exacerbatæ* & *vexatæ* apponuntur & mox audacter & immodicè *avelluntur*, quomodo poſthac circa tales venulas hæmorrhoidales *externas* ſanguis *copioſè* imò interdum *exceſſivè* effluat adeoque *excedentem* fluxum hæmorrhoidalem conſtituat, qui tamen *ſua ſponte* minimè eo pertigiſſet, ni talis *externa* occaſio & provocatio acceſſiſſet: unde potius ad efficaciam *motuum hæmorrhoidalium* ab *intra* erumpentium & in ejusmodi *exceſſum* degenerantium reſpicimus, quamvis *externæ* interdum cauſæ ad eorundem *exacerbationem* concurrant. Deinde ad illam circumſtantiam & conditionem animum applicamus, an videlicet talis fluxus exceſſivus *admodum frequens* & *ſolennis* ſit, an vero minus? ubi minime ſimplicem veritatem celare lubet, quin rotundè per *negativam*

huic quæstioni succurramus, nimirum quod talis excessivus fluxus in praxi medica *non ita quotidianus* aut valde frequens existat: quemadmodum *reliquæ* Hæmorrhagiæ longè frequentius in *defectu* quam in *excessu* peccant: & licet *legitimus* & facilis Hæmorrhoidum fluxus in *variis locis* etiam *rarior* sit, tamen *frequentior* esse posset, si negotium hæmorrhoidale vulgo magis in medicina cognitum esset, nimirum quinam *motus* & *apparatus* ad *Hæmorrhoides* pertineant, & quod *legitimus* Hæmorrhoidum successus *salutaris* sit: inde eveniet, ut *facilis* Hæmorrhoidum eruptio non tanta *antipraxi* offenderetur, neque ita incognita fiat; & optandum potius esset, quo *molimina* hæmorrhoidalia non juxta *consuetum* morem *suffocarentur*, sed potius ad debitum fluorem *promoverentur*: utut vero vulgo in medicina, maxime vero *recentissima*, Hæmorrhoidum *excessus* maxime damnatur & eximiè illius invasionem artifices *abhorrescunt*, tamen bono & tranquillo animo esse & paulo securius præ hoc panico terrore dormire possunt, quotquot ita metuunt, cùm hic affectus in longo temporis ambitu *vix sæpe* occurrat, imò inter centum hæmorrhoidarios interdum tantum centesimus excessu tali, *verè periculoso* & juxta *communem opinionem lethali*, laboret; plurimi vero alias *anomalias* experiantur: in quibus *frequentius* occurrentibus *irregularitatibus* hæmorrhoidalibus rectè disquirendis, annotandis, inculcandis & tractandis major, solidior & constantior opera & industriá adhibenda esset, quo famosa illa labes quæ medicinam nostram admodum premit & torquet, qua animus plus de *rarioribus* effectibus & eventibus meditatur, repurgetur: licet vero talis Hæmorrhoidum *excessus* in medicina practica paulo *infrequentior* existat, quam *defectivus* Hæmorrhoidum status, tamen propterea illius commendatio & explicatio non penitus obliteranda est, unde cum *D. D. Præses* diversis dissertationibus necessarias fluxus hæmorrhoi-

rhoidalis circumſtantias propoſuerit & expoſuerit, noluimus etiam hanc *accidentalem* Hæmorrhoidum qualitatem præterire, quam vero omnino â *genuino* & *legitimo* Hæmorrhoidum ſtatu provide diſcernimus: unde ſane rectè *Fernelius Pathol. Lib. VI. cap. 11. immoderatam ſanguinis profuſionem & ejus minime conſuetam ſuppreſſionem ad Hæmorrhoidum ſymptomata* refert & addit: *utrumque præter naturam eſt, ſitque id gravium morborum cauſa ſola quippe vacuatio naturalis ea cenſetur, quæ quod grave inſenſumque eſt, velut onus inutile deponit, citra corporis infirmitatem citraque virium jacturam.*

§. IX.

Subjecta, quæ *exceſſivo* Hæmorrhoidum fluxu correpta obſervantur, utplurimum in illa *ætate* conſtituta conſpiciuntur, in qua *viribus* adhuc *integris* gaudent, neque ſenili marcore delaſſata aut alioquin valde *enervata* ſunt, ſed in *virili vegeta* aut conſiſtente periodo ſubſiſtunt, cæteroquin vegeta activitate fruuntur, dum in actionibus moralibus, naturalibus & vitalibus vix defectus eximios experiuntur: & ſi in ſenibus hæmorrhoidalis talis exceſſus interdum conſpicitur, vix tamen ſenectus illa, qua fluxus hic corripit, effæta & emaciata, quin potius quantiſper vivida & agilis exiſtit: deinde ejusmodi ſubjecta quoad *animum* deprehenduntur reſoluta, *prompta*, præcipitis activitatis, iracunda, interdum immoderata, impetuoſa & *impatientia*, ex quibus aliqua in *diæta* diverſis exceſſibus ſeſe ſubmittunt, aut *venereis* concupiſcentiis & operationibus cum ſalacitate indulgent, aliisque *immodicis* actionibus & æſtuoſis aut *turgefactoriis* corporis & humorum commotionibus inhærent; tanto certius vero ad exceſſivum Hæmorrhoidum fluxum diſponuntur ſubjecta, quæ *Sangvineo-Cholerici* temperamenti ſunt, adeoque non modo ad coacervandam *ſuperfluam* ubertatem ſangvinis prompta exiſtunt, ſed & quæ ſangvinem ſatis *fluidum* & mobilem

ha-

habent, qui *ſpumefactoriis* commotionibus facile & cito obtemperat, & in quibus eximia *alacritas* & ad motus impetuoſos ſubeundos promptitudo adeſt; eo magis vero talia ſubjecta obſervantur in diæta plena, lauta, tenui & ſpirituoſa conſtituta, quæ præcipuè antehac Hæmorrhoides *aliquoties* & ſatis *facile* promptè atque ſufficienter ſubierunt: aut in quibus prægreſſus liberior Hæmorrhoidum fluxus aliquas *turbas* & impedimenta ſuſcepit, donec mox alia cauſa efficax & ſtrenua *impetuoſam* talem eruptionem denuò provocavit: quæ circumſtantia in hiſtoria practica attentione digna eſt, in qua fluxus *hæmorrhoidalis* cum *menſium fluxu* aliquam *affinitatem* habet, dum aliquoties Hæmorrhoidum fluxus *vegetè* & liberius ſucceſſit, qui vero vel per immoderatas *animi* commotiones vel *diætæ* & *regiminis* vitia quantiſper offenſus fuit, aut aliquandiu *ceſſavit:* quando vero impetuoſa & repentina *pathetica* vel alia vehemens *ſangvinis* & *primarum regionum* commotio ſupervenit, tunc aliquando fluxus ille hæmorrhoidalis non modo *vehementer* irruit & *redit*, ſed & *immoderatius* decurrit atque in *exceſſum* incidit: utpote quæ ſingulæ ſunt tales circumſtantiæ ad hiſtoriam excedentium Hæmorrhoidum pertinentes: quod vero *temporis* rationem attinet, quo *exceſſivus* ejusmodi fluxus erumpit, tunc non ita familiare ipſi eſt, quo *juſtis* & exactis periodis revertatur aut progrediatur, uti quidem alias *legitimus* hæmorrhoidum fluxus interdum ſervare ſolet, quin potius contingit, ut *extra* opportunũ redeundi terminum irruat, atque *irregularitatem* obteſtetur, quid quod illis imprimis temporibus veniat, quibus *cauſæ* tales valdè commoventes & *provocantes* inductæ fuerant: quod vero reliqvum *recurſum* exceſſivi hujus fluxus attinet, tunc ipſe minimè *frequens* exiſtit, ſiquidem *prodigæ* tales Hæmorrhagiæ *aliquoties* redeuntes utplurimum tales *effectus* excitant, qui ulteri-

teriorem earundem *reditum* non facilè admittunt, dum in ſuſpectum morbi *ſchema* tranſeunt & *transfigurantur*.

§. X.

In ſuperioribus modo mentionem fecimus *quomodo* fluxus hæmorrhoidalis excedere ſoleat, quo loco vero paulo ùberius id explicabimus, quia ad hiſtoricam hujus negotii delineationem proximius ſpectat: dictum fuit, quod hic fluxus vel *ſimultaneo* & repentino ſucceſſu, in *exceſſum* delabatur, vel *diuturno:* quoad *primam* ſpeciem notandum, quod communiter id contingat, quando *impetuoſæ* cauſæ præceſſerunt & *ſimul & ſemel* ſangvis vehementer commotus & *impulſus* fuit, unde evenit, ut ſangvis è locis hæmorrhoidalibus ſtrenuè erumpat, & non modo *frequentiores* dejectiones alvinæ urgeant, quæ conſtanter *affuſum* ſangvinem *effundunt*, ſed & qualibet alvina tali dejectione ſatis *notabilis* ſangvinis quantitas dejiciatur, ut intra unum & alterum diem aliquot libræ ſanguinis profundantur & eo *citius* eximius illius *defectus* advertatur: tanto magis etiam hæc frequens & immodica atque *impetuoſa* hæmorrhoidalis dejectio augeſcit & *increbeſcit*, quando ſubjecta in *erectiori* ſtatu verſantur, ſurgunt & obambulant, ubi eo magis ad deponendam alvum urgentur: quin evenit plane ut ſub quiete interdum ſanguis affluat & effluat, & ita conſtantem atque haud interruptum ſucceſſum ſervet: talis vero *ſimultanea* Hæmorrhoidum profuſio *exceſſiva rariſſima* eſt: altera ſpecies in hiſce circumſtantiis conſiſtit, ut per *plures dies*, *hebdomadas*, imò plane *menſes* indies hic fluxus *continuet*, aut per aliquot ſeptimanas *duret*, deinde per non ita multos dies *intermittat*, mox *denuo* invadat atque repetat & iterum aliquandiu inſiſtat, imo denique quaſi in *conſuetudinem* plane abeat, ſicuti *Illuſtris D. D. Stahlius in Pathologia pag.* „*756.* exemplum *JCti* allegat, qui per totos octodecim an-„nos tam ubere hæmorrhoidali fluxu laboravit, ut raro o-

„cto dierum intervallum ferret affectus: &c. & quoad posteriorem exceſſum fluxus hæmorrhoidalis, evenit, ut indies ſubjecta *aliquam quantitatem* ſanguinis ſub alvina dejectione excernant, quando alvus interdum quotidie ſemel, nonnunquam bis, aut ter deponitur, ita ut indies *aliquot unciæ*, quantum per *oculos* colligere & conjectare licet, evacuentur: qualis evacuatio ſi per plures dies continuat, tunc *vires* & ſingulæ functiones *animales* & *naturales* labaſcunt & *enervantur*, ut ſub *jactura* appetitus effuſa illa ſanguinis quantitas tam promptè colligi & *reparari* nequeat, adeoque *penuria* ſanguinis non modo *internè* obſervari, ſed & ex *externis* eminentibus *phænomenis* conſpici & dijudicari poſſit; & hæc *poſterior* ſpecies exceſſus quoad *reſpectivam* frequentiam *uſitatior* & familiarior eſt, *prior* vero *periculoſior*: & dum alter Hæmorrhoidum exceſſus *ſucceſſivè* obtingit, ita pathémata & incommoda, quæ ex eodem conſequi poſſunt, non adeo *repentina* atque *extrema* ſunt, neque tam *terriculoſum* eventum lethalem *repentinum* inferunt: quo loco placet commendare prælaudati *Celeberrimi Stahlii* verba *loco citato pagina 754. ita enim mihi notiſſima ſunt non pauca æque aut rara hujus generis exempla, ubi certè aliàs enormes habendæ hujusmodi evacuationes nihil quicquam pro dignitate, imprimis ad familiarem opinionem detrimenti attulerunt:* qua occaſione mox notatu dignum caſum proponit *viri Illuſtris* cujusdam „hæmorrhoidarii, qui ab *acidularum Pyrmontanarum* uſu „in talem fluxus hæmorrhoidalis *exceſſum* incidit, ut per „integros *tres menſes* ſingulis diebus *tantum* ſanguinis e-„miſerit, quantum larga *Venæ Sectione* educi ſolet, qui illo „tempore vir *quinquaginta quinq;* annorum fuit, & qui pro-„ximè poſt illud tempus ad priſtinum vigorem non penitus „rediit; tamen *poſtea* non modo in integrum reſtitutus „fuit, ſed in quo *Hæmorrhoides*, antea ſimul & ſemel *oppreſ-„ſæ*, iterum in antiquum *benignum* modulum redactæ ſunt.

§. XI.

Secundum hanc excedentium Hæmorrhoidum diversitatem nunc placet quamlibet talem speciem *seorsim* observare & quomodo invadat atque decurrat curatius perpendere: *Simultaneam* Hæmorrhoidum profusionem *antecedunt* communiter singulares *inquietudines* in infima abdominis regione, imprimis vero *spasmodico-congestoriæ*, interni insoliti ardores, temperati tamen, nec non *ebullitiones* & *inturgescentiæ* sanguinis insuetæ, *torsiones* sensibiles, quasi *interlancinantes* & de *colica* prosapia existentes, præcurrunt insoliti sanguinis *orgasmi*, reliquum etiam corpus, sed non adeo diu pervadentes, quid quod alternant aut corripiunt *horripilationes* & refrigerationes *extremitatum*, affligit ponderosa & *oppletoria* quædam oppressio in *abdomine*, *appetitus* non est integer & ordinarius, *animus* est quantisper *perturbatus* & *abjectus*, *somnus* est turbulentus, *venter* est nonnunquam *durior*, urget conatus *desidendi* cum sensibilibus *internis* doloribus *scindentibus* & interlancinatoriis, donec tandem *sincerus* sanguis evacuetur; interea *internæ* illæ commotiones *strenuè* continuant & illa *symptomàta* accidunt, quæ alias Hæmorrhagias *excedentes* comitantur, præcipue vero repentina *virium* prostratio, obscurus dolor in *hypochondriis*, conspectus *pallidus*, perturbatio, excavatio, nec non *livor oculorum*, superficiei corporis *tepor* aut plane frigus, partium *contabescentia*, *angor animi*, *tremula* cordis commotio, eximia *lassitudo* pedum, appetitus defectus, *murmura* in abdomine, aliquando vero *vagus* quidam *æstus* intercurrit & externi languores superveniunt, ut *mortis* periculum immineat, pulsus est *mollis*, *debilis*, *inæqualis*, *venæ* sunt *depletæ* & occultæ, *respiratio* lenis & *debilis* atque *anxia*, urina effluit *pauca* & vel *tenuis* atque limpida vel *turbida*, limosa & lateritii coloris: successivè abdomen quasi *excavatum* percipitur, superveniunt nonnunquam molesti *flatus*: in

quali ſtatu propterea ſubjecto *cito* ſubvenire confert: quo *fortius* vero internæ commotiones *ſpaſmodicæ* continuant, eo *deterior* eſt ſtatus affectus: & ſingula hæc intra *primos dies* eveniunt, ubi patientes adhuc conqueruntur de eximia *præcordiorum* aut rectius ipſius *cordis* anguſtia, de qua dicunt: **das Hertz ſey ihnen recht matt und müde**, proinde etiam magnam capitis & ſingulorum tum externorum tum internorum *ſenſuum* debilitatem percipiunt: *facies*, imprimis genæ, extremè *contabeſcunt*, acuminantur nares & mentum, collabuntur *tempora*, nonnunquam *frigidus* erumpit *ſudor*, inſtant *lipothymiæ*, fauces ſunt ſiccæ, adeſt moderata *ſiticuloſitas*, concidit denique abdomen, refrigeſcunt coxæ & femora, quæ ultima phænomena tunc manifeſta fiunt, quando hic exceſſivus fluxus *funeſtè* excurrit, ubi totum corpus per loca hæmorrhoidalia *ſanguine neceſſario* deſtituitur & depauperatur: unde in ejusmodi ſubjectis, ita demortuis, eadem in *internis viſceribus* conſpiciuntur, quæ in aliis ſubjectis gravi *Hæmorrhagia* quacunque extinctis obſervantur.

§. XII.

In *altera ſpecie* exceſſivi Hæmorrhoidum fluxus neque *apparatus*, neque *decurſus* & *eventus* tam ſontici ſunt ac in præcedente, unde illius etiam ſtatum commemorare lubet; per *initia* quidem nondum exceſſivus aut impetuoſus *futurus*, dijudicari poteſt, interea tamen *inſolitæ* quædam *commotiones* in abdomine percipiuntur, præcipuè *ſtricturæ* tenſoriæ & *oppletoriæ*, cum moderata *anguſtatione* conjunctæ, præprimis vero intimius per *longitudinem* infimi *dorſi* atque oſſis coccygis inſuetæ tenſiones perſentiſcuntur: abhinc Hæmorrhoides excerni inchoant, continuantque: inde *ſucceſſivè* ſubjecta *enervantur*, vires *in genere* languent, *animus* torpet & tacitè *angitur*, *appetitus* eſt imminutus, *concoctio* eſt difficilior, & ſi pro virium adjumento *ultra appetitum* victum ingerunt, *ægrius* inde habent,

bent, *flatulentia* anguntur, ad *dejectiones* alvinas magis urgentur, *intimiores* & *intensiores* tensorias commotiones magis experiuntur; quin nonnunquam *inconcocta* ciborum frusta expelluntur, aut sursum per *vomitum* rejiciuntur, concurrente majori *angustia* atque perturbatione, præterea sub hoc excessu Hæmorrhoidum superficies corporis *impallescit*, maximè vero *facies*, quæ per initia decolor, livida & pallida, contracta & tabida conspicitur cum acuminatis naribus, impallescentibus labiis, obscuratis excavatis oculis; *successivè* vero redditur habitus corporis quasi *cachecticus* ex pallido tumidus & *Riverius lib. X. cap. 10. de Hæmorrhoidum fluxu immodico* dicit: *cognoscitur immodicus Hæmorrhoidum fluxus ex viribus prostratis & imbecillitate, quam æger percipit & ex diuturnitate fluxus ac copia sanguinis excreti: tum etiam fœdo totius corporis colore ad citrinum vergente, ut ægri Ictero laborare videantur:* cum quo posteriori phænomeno cohæret observatio & commemoratio *Foresti lib. XXIII. obs. 5. in scholio; color faciei habentis Hæmorrhoides teste Avicenna ad viridem colorem declinat: id quod in multis aliquando advertentes solo hoc signo inducti eos Hæmorrhoidibus laborare pronunciavimus magno cum artis honore.* Porro in ejusmodi excessu Hæmorrhoidum habitus exterior *tepet* & calor naturalis successivè expirat atque imminuitur, *pulsus* est *debilis*, lenis, mollis, *vacuus* imò planè *inæqualis*, afficit eximia *lassitudo* in femoribus *ponderosa*, adest mollities singularis & *sensibilitas* circa *præcordia*, uti vulgò dicunt: **es wäre ihnen so wehe und weichlich ums Hertze**, in *capite* percipitur aliqualis *debilitas* atque torpor, *somnus* est *inconstans*, *anxius* & turbulentus, *fauces* sunt siccæ & *exsuccæ*, nonnunquam unà malleoli *intumescere* inchoant, venter percipitur quasi *excavatus* & insensibilis **als wenn der Leib gantz hol, leer und unempfindlich wäre**, id quod sub continuatione hujus excessus contingit: dolent tamen *lumbi* & insolita lassitudine labo-

rant *hypochondria*, *urina* parcius & *inæqualius* excernitur, quæ ſingula pathemata ſub continuatione exceſſivi Hæmorrhoidum fluxus magis magisque augeſcunt, ut denique ſubjecta talia & ſanguine & viribus exhauſta morti proximiora conſpiciantur.

§. XIII.

Quando in certis individuis *hæreditaria diſpoſitio* ad negotium *hæmorrhoidale* adeſt, tunc hic fluxus paulo *facilius* in exceſſum declinat, ad minimum communiter *largius* ſuccedit; in *excesſivo* vero ſuo decurſu utplurimum cum *impetu* & acerbitate procedit, neque ita facile coërceri aut *mitigari* poteſt, unde etiam *præ reliqua* Hæmorrhoidum conditione *paulo* facilius in *repetitum* talem exceſſum degenerat & alia gravia pathemata, ſymptomata & conſectaria involvit, in quibus conſequentibus affectibus ipſe ille fluxus iterato coincidit: quale exemplar contigit *D. D. Præſidi* in viro hæmorrhoidatio, vilioris conditionis cujus Pater erat *hypochondriaco-hæmorrhoidarius*, qui cum aliquoties non modo largas, ſed & *ſuperfluas* Hæmorrhoides expertus eſſet, tandem ob concurſum mali *regiminis* & perverſæ *diætæ*, in *Tympanitidem* & denique *Hydropem* incidit, in quo denuo largum *hæmorrhoidalem* fluxum ſubiit, cum multis *irregularibus* ſymptomatibus conjunctum, qui vero ut *præpoſterus* & *importunus* priorem affectum magis *deterioravit*, quam ſublevavit: deinde cum Hæmorrhoidibus excedentibus interdum res ita comparata eſt, ut in quodam individuo fluxus hæmorrhoidalis *moderatius* erumpat & emanare *inchoet* citra *ſuſpectorum* ſymptomatum *concurſum*, accidit vero nonnunquam, ut hic fluxus per *potentiores* & *immoderatiores* cauſas *repentè* & importunè commoveatur & *impellatur*, uti ſunt *animi pathemata*, *venerea* exercitia, *compotationes*, *inebriationes* & exceſſivæ corporis *exæſtuationes* aut *repentinæ* ſangvinis *inturgefactiones*, vel remediorum loca hæmorrhoidalia *ſtimulantium*, ingeſtio-

nes

nes, tunc moderatus *prior* fluxus & ſucceſſus in ſuſpectum & *immorigerum exceſſum* convertitur & ſemel ita *exacerbatus* vel non ita facilè & citò *complacari* poteſt, vel in futurum in diverſas ſonticas *irregularitates*, perquam refractarias, delabitur, ut in tractanda & emendanda tali *anomalia* maxima *modeſtia* opus ſit; Quod vero ipſum *ſangvinem* concernit, qui per *exceſſivas* Hæmorrhoides profunditur, tunc ille minime valdè *ſpiſſus*, *craſſus*, aut *nigricans*, ſed ſubtilior potius *fluidior* & interdum ſatis floridus eſſe conſpicitur, qui propterea illam *proportionem* habet, quæ ob *mobilitatem* ſuã facile *congeri* & copiosè *excerni* queat: quemadmodum viciſſim *ſpiſſior* ſangvis non modo ad *congeſtionem* ſed & *eruptionem* & futuram *fluxionem* ſubeundam *ineptior* minusque proportionatus exiſtit: quo loco minimè juxta veterum placita & aſſerta ſangvinem *acrem* accuſamus, qui non facile ad *hæmorrhoidale* negotium applicari poteſt, licet *ſubtilior*, fluidior & *orgaſticis* commotionibus ſubeundis aptior ſangvis aliquando *exceſſivarum* Hæmorrhagiarum cauſa evadat: quamprimum vero exceſſivus Hæmorrhoidum fluxus *acquieſcit*, tunc ſubjecta multam *debilitatem* in toto ſuo corpore perſentiſcunt, imprimis vero *viſcera* abdominis valde *delaſſata* exiſtunt, ita ut paulo liberalior ciborum ingeſtio maximè offendat *ventriculum* & *inteſtina*, inde *flatulentiæ*, *murmura* & *borborygmi* interdum affligunt, corpus *marcidum* & *pallidum* exiſtit, membra præ laſſitudine *titubant*, donec ſucceſſivè vires *redeant*, quippe qui *ſimplicior* exitus hujusmodi exceſſivi fluxus hæmorrhoidalis eſt; interim etiam peculiarem attentionem merentur conſectaria reliqua *graviora* & deteriora, quorum nunc mentio facienda erit, ſiquidem illa non niſi ſub *certis conditionibus* extimeſcenda ſunt, adeoque ad *accidentalem* eventum pertinent.

§. XIV.

Antequam hiſtoricam excedentium Hæmorrhoidum

explicationem abrumpamus, intererit, quo *Prognosticam* tractationem præmissæ *diagnosticæ* ad latus ponamus & commonstremus quales *successus* atque *eventus* sortiantur: omnes quidem Hæmorrhagiæ *excedentes* sunt *suspectæ*, quia *immodicus* fluxus sangvinis turbat *ordinem* & *proportionem vitalitatis* & *sanitatis*, imo quia *vita* & *sanitas* minime talib9 *immoderatis* commotionibus *impetratur*, eò magis vero *repentinus*, *simultaneus* & *impetuosus* Hæmorrhoidum successus periculosus est, licet reliqvus æque suspectus existat: longè aliter vero quisquam interpretari debet hanc enunciationem, quod *interdum* conspiciantur *prodigæ* hæmorrhoidales profusiones non *tantum* damnum inferre ac *vulgo* quidem traditur & metuitur: etenim minimè nos latet, quomodo *Galeni* testimonium satis evidenter *verum* esse deprehendatur, quod dirus interdum *Hydrops* æque *excedentes* ac *supressas* Hæmorrhoides sequatur: & certe familiaris est textus ille *Aetii Tetrabibl. 4. serm. 2. cap. 3. nam & deformitatem & miseram vitam hominibus inducunt Hæmorrhoides excedentes, multos vero & vita privant: & deformitatem quidem propter coloris totius depravationem ex evacuatione succedentem, miseram vero vitam propter corporis debilitatem: quandoque autem de vita periclitantur sic affecti, cum ob excedentem evacuationem perfrigeratum hepar inter cutem aquam operatur*, quippe qui locus in plurimorum ore est & illorum quidem qui tam faciles sunt ad Hæmorrhoides *supprimendas* & quo *Hippocratis* monito *obloquantur*, quando dicit: *Sect. VI. aph. 12. Hæmorrhoides curanti diuturnas, nisi una servata fuerit, periculum est, ne Hydrops aut Tabes superveniat:* cui asserto aperte repugnat *Raym. Ioh. Fortis Consult. Med. Cent. II. obs. 99.* quando dicit: *ego siquidem cum illis sentio, qui omnes extirpandas esse censent*, provocat ad *Aetium*, qui *Tetrabibl. 4. serm. 2. cap. 5.* ita Hippocratis aphorismum interpretatur: *Hæmorrhoides sananti inveteratas, si non adservetur periculum est hy-*

dropis

dropis aut tabis, qui propterea dixit, quod tale periculum possit *præoccupari* sanguinis missione, uti *Celsus lib. VI. cap.* 18. dicit: *quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat, multa excretione digerenda materia est; prætereaque & viris & fœminis, quibus menstrua non proveniunt, interdum ex brachio sanguis mittendus est*, pergit *Raym. Ioh. Fortis*: *nos itaque concludemus, quod in hujusmodi sangvinis profluviis satius sit evidentissimum periculum præsens evitare sanguine omnino suppresso, quam mala formidare, quæ multo post forsan supervenire possent: quæ mox etiam evitari solent sanguinis missione, recta victus ratione & exercitiis*; quin ultro & hic & alii authores provocant ad *Galeni* testimonium *Com. 4. aph. 25. sanguis supra qualiscunque fuerit malum, infra vero per Hæmorrhoides bonum: quando nigra evacuantur hoc est, cum natura nigrum sanguinem accumulaverit, alioquin non est assuefaciendum ei, quæ fit per Hæmorrhoides, evacuationi, ut quæ periculosam habet utramque immoderantiam sive supra modum sanguis excernatur sive supprimatur*: quidquod pro ulteriori suffragio ad ipsum *Hippocratis* testimonium provocant *lib. de Hæmorrhoidibus §. I. text. 26.* ubi dicit: *urere enim oportet & nullam Hæmorrhoidem sine ustione sinere, sed omnes exurere:* non advertentes quod Hippocrates de Hæmorrhoidibus *protuberantibus* aut intumescentibus magis differat, quam de *fluentibus*, nam mox addit: *cognosces autem Hæmorrhoides non difficulter: supereminent enim in internam recti intestini partem, ut uvæ acini lividi:* siquidem Sennertus etiam *Æginetæ Lib. III. cap. 59.* testimonium de cohibendis Hæmorrhoidibus allegat.

§. XV.

Quanquam vero Hæmorrhoides *excedentes* legitime tractatæ, citra tamen *positivam* cohibitionem aut *adstrictionem* repressæ, tam *horridos* effectus non *semper* nedum quidem *sæpe* inferant, attamen etiam hæmorrhoidalis excessus vel *nimius* & *impetuosus* vel *inconvenienter* tractatus

pravas consecutiones involvit, è quibus potiores sunt *Cachexia*, *œdemata* suspecta, *Tympanitis*, *Hydrops*, *Scirrhi interni*, *Hectica*, *corrupti* affectus *icterici*, affectus graviores *spasmodici*, indurationes ominosæ *alvi*, *cacochymia*, affectus *atrophici*, *marasmus*, morbi *asthmatici*, perturbationes *vertiginosæ* aut *paralyses*, *aridura* & *contracturæ* certorum membrorum, *procidentia* ani, affectus *melancholici*, *splenetici*, *hepatici*, *cardialgici*, *flatulentiæ* suspectæ, passiones *hypochondriacæ*, *hystericæ*, *febres* contumaces *quartanæ*, vitia *appetitus* & *concoctionis*, *colicæ* turbulentæ & *convulsivæ*: quodsi vero tales Hæmorrhoides excedentes *simul & semel* obrutæ & *suppressæ* fuerint, tunc illi affectus *proximius* insequuntur, quorum in *prognostica* & reliqua etiam deductione *suppressarum* Hæmorrhoidum mentio facta fuit, ubi præcipuè hoc loco *vomitum* & *mictum cruentum* notamus: quando Hæmorrhoides ob dispositionem *hæreditariam* excedunt *deterioris* & immoderatioris indolis existunt: quodsi Hæmorrhoidum excessus à causa *pathetica* provocatus fuerit, perinde *immodestior*, pertinacior & *impetuosior* est, neque ita citò medicationi obtemperat: si à causa *repentinæ* invasionis & *impetuosæ* efficaciæ excitatus fuit, tunc perinde *vehemens*, impatiens atque pertinax existit & prudenti moderamine indiget: si post excessum hæmorrhoidalem subjecta neque bona *diæta* neque *regimine* congruo sibi prospiciunt, eo certius varia ex prædictis pathematibus superveniunt & contumacius insistunt: & cum post excessivum fluxum hæmorrhoidalem variæ *impuritates* tam in *primis viis* quam in humoribus coacerventur, ni subjecta bonis consiliis & auxiliis obtemperent, ita facile morbi tales corripiunt & insequuntur, qui vel hac causa *nituntur* vel per hanc causam *promoventur* & accelerantur, unde *immoderati* hæmorrhoidarii grassantibus *malignis* affectibus facilè in eosdem incidunt, quod etiam de illo patiente *Massarias* recenset, cujus *Riverius* mentio-

nem injicit, qui cum ab excessivo Hæmorrhoidum fluxu liberatus esset, *sed sibi nimium fideret neque solum præmisisset Venæ Sectionem & purgationem, ut necessarium fuerat, sed & nullam probam vivendi rationem servasset proximo anno febre pestilenti correptus obiit:* addit adhuc Massarias: *unde observandum venit diligenter Hippocratis præceptum Sect. III. aph. 12. ut una Hæmorrhois aperta servetur: nisi, ut docet Aetius, maluerit æger, quæ è suppressione imminent pericula, victu frugali, excretione, venæsectione & purgatione cohibere:* ita de simili patiente, qui Hæmorrhoidum excessivo fluxu laboravit, dicit *Excell. Stahlius l. c. p. 756. hic quidem patiens cachecticus diu apparuit, & certè fere valetudinarius, sensibilissimus etiam omnino fuit: interim vixit tamen & post aliquot demum annos ultra (circiter 22. annis post primum talis fluxus initium) febre contagiosa grassante demum abreptus:* & hæc circa *Prognosticam* Hæmorrhoidum excedentium considerationem notanda fuerunt.

§. XVI.

Cum hactenus Historiam excedentium Hæmorrhoidum recensuerimus, series præsentis tractationis nunc requirit, quo genuinas & evidentes hujus excessus *causas*, rationes & demonstrationes sive veram *Pathologiam* subjiciamus, in qua tractatione placet primo loco *nostram* mentem sincere explicare, deinde vero *aliena* judicia *modestè* diluere & *obsoletas* quasdam opiniones declinare. Ante omnia vero confidenter & constanter dicimus, quod *Hæmorrhoides* sint *actus Naturæ*, non vero effectus *fortuiti* ac *turbulenti:* hic actus vero à Natura oppositus est *superfluæ* & *molestæ* quantitati sangvinis, quæ præcipue *Venam portæ* offendit, unde si *legitime* & moderatè decurrit, exquisitam *euphoriam* & *salubritatem* positivè, minime verò *per accidens*, inducit; pro quo effectu impetrando propterea *motus congrui* & necessarii *congestorii* ad loca hæmorrhoidalia applicantur, quo tempestiva & sufficiens apertura concilietur, siquidem

frustraneum erit illis opinionibus inhærere velle, quasi *infarctus* talis & impressio morbida sangvinem exquisitè ex *hisce locis* educat & *internis* tenerioribus vasculis *parcat:* ex eo inferimus & sine ulla tergiversatione rotunde edicimus, quod *excessivus* Hæmorrhoidum fluxus itidem *actus naturæ* sit, neque per nudos *confusos* motus tumultuariè exerceatur: quanquam vero *legitimus* Hæmorrhoidum successus eximiam *salubritatem* post se relinquat, ita excedens hic fluxus omnino hac *hæmorrhoidali euphoria* destituitur, non quia est *hæmorrhoidalis* fluxus, sed quia *excedit*, unde *excessus* hoc respectu *damnandus* erit: neque quidem negotium *hæmorrhoidale* in tali *excessu* nostrum patrocinium obtinet, quin potius iterum rotunde declaramus quod Natura, quotiescunque in aliquo actu vel *deficit* vel *inordinatè* operatur vel *excedit*, crasse *aberret*, adeoque illa *utilitate*, quam per actum talem *dextre* administratum impetrare potuerit, certius *frustretur*: quod vero Natura non modo *erret*, sed & per errorem *excessivè* interdum operetur, mirum est, cur quidam ambigant, interrogent, dubitent aut mirentur, siquidem *errores* & quidem *excessus* animæ humanæ in *diversis* negotiis *quotidiani* sunt: ne vero quisquam hanc assertionem pro nuda & simplici provocatione aut *asylo* interpretetur, sed pro *rationabili* & evidenti *demonstratione* agnoscat, fas est quo intelligat, quod Hæmorrhoides non sint *passivus* quidam fluxus, id quod toti *historiæ* fluxus hæmorrhoidalis repugnat, sed quod hic fluxus sit *directus* ad *imminuendum* sanguinem *molestum*: unde nobis videtur nimis *crudus* ille conceptus, quod talis eruptio tantum *per accidens* eveniat & *fortuitò* talem *salubritatem* inferat, cum potius totus ordo, qui in negotio hæmorrhoidali occurrit, longe *alios* respectus pro *salutari* tali consueto eventu digniores magisque *appropriatos* involvat; & quemadmodum circumstantiæ illæ, (quod in corpore detur *abundantia sanguinis*, quæ non modo *molesta* sed et *noci-*

va exiſtit, quæ proprerea nullo meliori magisque *rationabili* auxilio curari poteſt, niſi tempeſtivè *imminuatur* & quidem per actualem & *ſinceram* excretionem, ita tamen præſtandam, ut *extra corpus* ſuccedat, neque eruptio *intra* nobiles partes aut *internas* corporis *cavitates* contingat) minime *accidentalibus* & *fortuitis* cauſis tam facile imputari poſſunt, ſed à *rationabili directorio* pendent, ita etiam concludimus, quodſi *legitimus* Hæmorrhoidum fluxus (quatenus *verus* eſt talis fluxus & ab aliis cruentis fluxibus alienus) effectus naturæ & non *corporis* eſt, neque ita *tacitè* à *corpore* produci & formari poteſt, ita neque Hæmorrhoides *excedentes*, quæ à legitimo fluxu *quantitate* materiæ, *augmento* motuum & *duratione* fluxus diſcrepant, *effectus corporis* aut *materialium* qualitatum, ſed ipſius *naturæ* ſunt.

§. XVII.

Et quanquam nullus *exceſſus per ſe* ad *ſalutarem* ſcopum tendit, ita minimè de *natura* humana ſentiendum eſt, quod propterea *exceſſivè* Hæmorrhoides profundat, quo corpus ſuum *deſtruat* atque perdat, ſiquidem non niſi ſub *deſperatione* anima rationalis etiam per *exceſſum interitum* affectat et proſequitur, unde probe notandum eſt, quod eadem natura *generice* quidem ad *ſalutarem* ſcopum, etiam *ſub exceſſiva* Hæmorrhoidum proſecutione tendat (ſicuti in *moralibus* anima humana in aliis exceſſivis operationibus *apparens bonum* ſive commodum urget) quem tamen ob *incongruam* huius negotii adminiſtrationem non impetrat: quod vero intentio naturæ *genericè bona* ſit, ex eo colligimus, quod natura primario pro *conſervando* corpore actionibus ſuis intenta ſit, quod ipſamet alioquin aperta & evidentia *damna* averſetur, imò quod *aliàs* in ordinario & *legitimo* ſtatu *Hæmorrhoides* non pro *deſtruendo*, ſed pro *conſervando* corpore adminiſtret & quod in *moralibus* homines etiam per *exceſſivas* operationes *certas utilitates*

intendant, licet veras & *ſinceras* utilitates non *impetrent*; unde judicamus, quod minimè promiſcuè atque crudè talem hæmorrhoidalem fluxum, etiamſi excedat, tota ſua indole abſolute pro *mortifero* æſtimare & tractare debeamus: ſiquidem neque adeo multum valet illa *plebeja* objectio, ex qua abſolutè quisquam excedentium Hæmorrhoidum *lethalitatem* propugnare & contentam *indirectam* ſalubritatem impugnare poſſet, nimirum ſi Hæmorrhoides excedentes aliquid *ſalubritatis* involverent, cur homines *moriuntur*, delaſſantur aut in *morbidas* conſecutiones incidunt: quod idem eſſet, ac ſi quærere velimus, ſi intenſior uſus *rectæ rationis* ſalutaris eſſet, qui fit cur diverſi homines in *dementiam* incidant, *animo* & *corpore* debilitentur, & variis incommodis afficiantur? ubi facile liquet, quomodo non levis hìc confuſio committatur, quæ à tyronibus logices ſolvi poteſt, dum inter primam *intentionem* & ultimam *applicationem*, deductionem & *executionem* magna differentia intercedit: deficit itaque *ſalutaris eventus*, non propter motum *hæmorrhoidalem* in genere, ſed propter *exceſſum*, motus enim hæmorrhoidalis & *deſtinatio* prima *hæmorrhoidalis* corporis *ſalubritatem* pro ſcopo habet, unde *Hippocrates* dixit, quod non *omnes* hæmorrhoidales venæ ſint *ſupprimendæ*, ſed *una* ad minimum *ſervari* debeat: & ſicut Hæmorrhoides non in prima ſua *eruptione* aut prima *progreſſione* pro *exceſſivis* dijudicandæ ſunt, ſed ex *quantitate* ſanguinis profuſi & *diuturnitate* fluxus, ita *ſalutari* quodam *conſilio* à natura ſuſcipiuntur, quo valde *moleſtus* & quantitate ſua *præjudicioſus* ſanguis *ventiletur*, ſub quo tamen actu atque *conamine* demum eadem natura in *errorem* talem delabitur, ut *nimium* quam par eſt finem hunc proſequatur: imo nihil pugnat cum *ſalutari* hac naturæ *intentione*, quando eadem in *prima* hujus negotii aggreſſione motus *ſtrenuè* & impetuosè applicat, ubi minimè à vero ſuo *ſcopo* aberrauerit, mo-

do *tempestivè* in hac *strenua* actione *remiserit* & cessaverit, si vero immoderate & *intemperanter* primam suam intentionem prosequitur, mirum non est, cur successus & eventus sit *excessivus*, qui *prævisam* salubritatem non obtinet sed *sinistrè* cedit: ubi demum male & confusè judicant, qui *sinistrum eventum* cum *salutari* initio & *destinatione* confundunt & unum ex altero dijudicant: quod idem esset ac si *inversa* methodo argumentari velimus, quia homines in *moralibus* non semper *prævisos* & *præfixos* scopos recuperant, ergo propter *sinistrum* aut malum exitum, *prima* industria, primum *rationabile* conamen etiam *pravum*, malum & *perniciosum* est: unde in decidendo & dijudicando tali negotio prudentia opus est, ne contra regulas formaliter *connectendi* & *concludendi* impingamus, sed quo singulæ circumstantiæ *discretivè* observentur, rectè perpendantur & *seorsim*, minimè vero *confusè* aut ex *præconcepta* opinione dijudicentur & damnentur.

§. XVIII.

Et quo hæc nostra assertio, quod nimirum Hæmorrhoides à *natura* non *corporis* sed *hominis* exerceantur, magis evidens atque certa compareat, notandum porro erit, quod Hæmorrhoides *excedentes* nullo alio *motu* perficiantur, quam illo, quocum *legitimus* earundem fluxus celebratur: quemadmodum enim *simplices* Hæmorrhoides minime ita *passivè* elabuntur & nuda vasculorum hæmorrhoidalium *apertura* nituntur, sed mediante *tonico* illo motu administrantur, quocum sanguis ad loca *hæmorrhoidalia* copiosius *congeritur*, ut denique ejusmodi *eruptio* contingat, cum minime *per se* sanguis talem *perruptionem* inducat, neque nudæ & *irregulares* intestinorum *stricturæ* satisfaciant, quoniam omnis *colica* & qualiscunque alia intestinorum *torsio* aut *flatulenta* commotio violentam talem *perruptionem* causari deberet, sed *proportionata* congestio & *toni* directio requiratur, quo per pro-

pagi-

pagines venæ hæmorrhoidalis *internæ* ſanguis erumpat atque ita *vena illa*, quæ maximè *oneratur* & *ſuperfluo* ſanguine moleſtatur, *depleatur* & ventiletur, ita etiam *Hæmorrhoides excedentes* nulla alia *motuum ſpecie* abſolvuntur, quam eodem *tonico motu*, ſine quo nulla *ſpontanea* Hæmorrhagia fieri & progredi ſolet, ſiquidem minime nobis illi *obſoleti* & incongrui conceptus in hoc negotio ſatisfaciunt, quaſi ob capaciorem *dilatationem* dilaceratorum vaſculorum ſanguis *copioſius* effluere debeat, cum tamen notiſſima res ſit, quomodo ex *exiguo* vulnuſculo *larga* tamen ſanguinis quantitas profluere poſſit, ubi minime ad *proportionem* aliquam *materialem* provocare convenit, quæ in tali paſſu evidenter deeſt; ob id neutiquam ad *novum* & alium modum fiendi confugimus, cum excedentes Hæmorrhoides *eſſentialiter* ſint *verus* fluxus *hæmorrhoidalis*, qui tamen per *accidens* excedit, quoniam juxta veram ſuam formam & *eſſentiam* excedere non debet & propterea *rarius* etiam excedit, quin potius ſi legitimè tractatur, neque perturbatur & offenditur *placide* & ſufficienter ſuccedit; ſi itaque ad Hæmorrhoides *eſſentialiter* inducendas *tonicus* motus requiritur, ita *exceſſivus* hæmorrhoidalis fluxus ſine ullo *tono*, qui ſub *directorio* naturæ eſt, decurrere haud poteſt & per bonam atque ſimplicem conſequentiam hic fluxus *hæmorrhoidalis*, qui nunc *exceſſivus* deprehenditur, ſub directorio *naturæ* ſtat: et quoniam hic exceſſus conſiſtit in *augmento* quantitatis, ita non æque neceſſe eſt, quo *capacior* apertura adſit, ſed *motuum* augmento opus eſt, motus vero *principalis* ad deducendas Hæmorrhoides eſt *tonicus*, unde *augetur* ille *tonus*, ſed ita *proportionatè*, ne fluxui *obſit* neve eundem *impediat* & coerceat, quemadmodum Hæmorrhoidum *ſuppreſſio* perinde *tonico* motu abſolvitur: unde pro *augendis* Hæmorrhoidibus non *vagus* tonus, ſed talis neceſſarius eſt, qui *fluxui* competit: ex quo iterum eluceſcit & *demonſtrativa* ſimplici ratione inclareſcit,

quod

quod in Hæmorrhoidum *excedentium* negotio non ſufficiat *vaga* quædam & *vana* aut *irregularis* inteſtinorum *ſtrictura*, quæ magis *retinendis* & reprimendis, quam *expellendis* Hæmorrhoidibus inſervit, ſed *proportionatum* & huic fini conforme atque idoneum motus tonici *directorium*: utpote qui ipſe *tonus*, *gradu* quidem auctus, in diverſis phænomenis & *ſymptomatibus*, ſuperius recenſitis ſeſe prodit & comprobat: ſub qua ſimplici & plana, ſed & evidenti atque vera conſideratione non neceſſe habemus, quo ad confuſos quosdam *morbidos* motus provocemus, vel nihil cohærentes *qualitates materiales* effingamus, ſed germana veritate declaramus, quod Hæmorrhoides *excedentes* ſint ſuperflua ſanguinis hæmorrhoidalis profuſio, *bono* quidem *fine* ſuſcepta, ſed *ſiniſtro* perducta & per *nimium* toni augmentum inducta.

§. XIX.

Quemadmodum vero reliquæ exceſſivæ operationes *peculiares impulſus*, provocationes & *cauſas commoventes* ſequuntur, ita perinde natura humana in negotio *hæmorrhoidali* ob certas & diverſas cauſas excedere ſolet; inter has vero *ſolenniores* & uſitatiores ſunt, quando aliàs eadem natura in operibus ſuis *præceps*, *impetuoſa* & *immoderata* exiſtit, unde eo facilius ad *exceſſivas* ſimiles commotiones provocari poteſt: quemadmodum exagitationes *iracundæ*, illis præcipue temporibus commiſſæ, quibus fluxus hæmorrhoidalis inſtat, ad *exceſſum* in hoc negotio diſponunt & ſeducunt: non minus ob *hæreditariam diſpoſitionem* Hæmorrhoides interdum excedere ſolent, utpote quæ diſpoſitio hæmorrhoidaria non in *materiali* ratione conſiſtit, ſed in communicatione *ſubtiliori* & intimiori *ideæ* de certis *finibus* promovendis & per certas *ſpecies* certosque *gradus* motuum impetrandis, quæ idea vero cum adeo *firma* & connata ſit, ita tanto *impetu* & *impatientia* in ipſam *applicationem* ſive actum transfertur,

 adeo-

adeoque in hoc negotio *exceſſus* ſuperveniunt: & quemadmodum *conſuetudines* in variis actionibus nactæ ad *immoderatas* operationes diſponunt, ita idem in *hæmorrhoidali* fluxu fieri deprehenditur, quem ſi aliquoties natura humana *facile*, libere, expeditè & *copioſè* exercuit, tandem ſuperveniente alia cauſa *impulſiva* in actualem *exceſſum* deducit, præprimis ſi ſanguis ſufficienter *fluidus* & partes adhuc ſatis *flexiles*, neque alia obrigeſcentiâ & *ſtricturâ* alteratæ ſunt: & hæ potiores & notatu digniores cauſæ & circumſtantiæ ſunt, quæ propius ipſam *naturam* concernunt & proximè *ab eadem* pendent: ſed dantur etiam aliæ cauſæ, quæ in *corpore* obviæ fiunt, propter quas eadem natura exceſſum illum committit: ex hiſce accuſamus nimiam ſanguinis *tenuitatem* undecunque etiam illa inducta & provocata fuit, quæ *ſpumefactoriis* & tanto magis naturæ *moleſtis* commotionibus atque partium tenerarum *oppletionibus* anſam præbet, ut pro *adverſa* hac *inturgeſcentia* tranquillanda & connexa *plenitudine*, æque *moleſta*, imminuenda ſtrenuæ & efficaces commotiones *congeſtoriæ* ad loca *hæmorrhoidalia* dirigantur, quæ cito ad *promptam* perruptionem pertingunt & valde fluxilis ſanguinis facilem, *copioſam* imò *prodigam* profuſionem inducunt, præprimis cum eædem huic fini præfixo, ob *volubilitatem* ſanguinis efficacius impetrando, inhæreant atque inſiſtant, neque ita *cito* remittant, ſed dum antea ſanguis variis *impetuoſis* commotionibus expoſitus fuerat, ad illum exturbandum atque *vegetè deplendum* impetuoſius continuent: ejusdem valoris ſunt *frequentius* procedentes impetuoſæ ſanguinis commotiones & *exæſtuationes*, quando ſanguis de reliquo ſatis *fluidus* eſt, quales immoderatæ *turgefactiones* vel per *compotationes* & *inebriationes* vel liberales ingeſtiones *ſpirituoſarum* & alias valde *calefacientium*, acrium ſubſtantiarum vel per adhibita *remedia* ſanguinem eximiè *inturgeſcentia*, myrrhata, crocata, con-

cen-

centrata aromatica, acria, volatilia, ſpirituoſa, carminativa excitantur: quo ſimiliter referimus illas immodicas *commotiones*, quæ per *venerea* deſideria & exercitia committuntur: neque excludi debent *ſtimulationes* & provocationes *viarum*, vel per *adverſa* vel per *acria* remedia commiſſæ, quando in ſubjectis ſanguis alias ſatis fluidus exiſtit & fluxus *hæmorrhoidalis* olim facile & *promptè* ſucceſſit: unde immoderatæ *primarum viarum* offenſiones per valde ſalita aut oleoſa, reſinoſa & acria remedia ad *exceſſivum* Hæmorrhoidum fluxum excitandum, contribuunt: quo loco ſeorſim notamus *vina ſpirituoſa* valde *ſulphurata*, *aromata*, ſalia *potentius* abſterſiva, *volatilia*, *aloetica*, *helleborina*, *colocynthiaca*, *ſcammoniata* & ſingula illa ſubjecta, quæ ex diæta in *inferiores* corporis regiones copioſiorem humorum *affluxum* provocant, ut ſunt *cepæ*, *raphanacea*, *ſinapi*, &c. quorum ſingulorum *liberalis* & *indiſcretus* uſus ad *exceſſivum* Hæmorrhoidum fluxum provocandum quadrat.

§. XX.

Minime vero hæ cauſæ *poſterioris* claſſis ſatisfaciunt, quo *nuda* poteſtate & efficacia *phyſica* hunc *excedentem* Hæmorrhoidum fluxum provocent, ſed dum loca & confinia *hæmorrhoidalia* ſenſibilius afficiunt, tunc *eò* ſangvis *impetuoſius* & copioſius affunditur & *congeritur* & ſi ſemel in negotio hæmorrhoidali *exercitata* eſt natura, tunc eo *ſequitur*, quo ducitur, maxime vero has *commotiones* & partium *ſtimulationes* proſequitur atque in offenſa loca cum majori *impetu* & *impatientia* ruit, quo præprimis multum confert *generalis* promptitudo & *activitas* naturæ in *ſuſcipiendis* & *acriter* continuandis *extraordinariis* motuum *gradibus:* quo loco minime excludimus, ſed ut cauſam exquiſitæ efficaciæ notamus, majorem individuorum *ſenſibilitatem*, partim in *percipiendis* offenſionibus *primarum regionum*, partim in commovenda & *exturbanda* alvo, partim in ſuſcipiendis

operosioribus & *impetuosioribus* affusionibus humorum ad *intestina*, quæ in aliquibus subjectis *biliosos*, in aliis *pituitosos*, in his vero de quibus nobis sermo est, magis *sangvineos* fluxus inferunt: ob id totâ hâc pathologiâ iterum magis ad *efficaciam motuum* advertimus, quæ ad *excedentes* Hæmorrhoides inducendas plus valet, quam qualitas *nuda* materiarum, quanquam etiam hanc in ordine atque numero causarum non *penitus* excludamus, modo *huic* non *imputetur*, quod prædictorum *motuum* valori adscribendum est: etenim per prædictas causas *natura* ita commovetur & *afficitur*, quo sangvinem non modo *molestum* sed & molestè *commotum* per vias *stimulatas*, actu non modo *usitato*, sed & in quo administrando aliquam *promptitudinem* nacta est, *copiosè* imò *prodigè* expellat, sub quo actu non alia naturæ *intentio* est, quam à *superfluo* aut *molesto* sangvine sese vegetè & *strenuè* liberandi, quem tamen scopum ob *excessivam* hanc commotionem non *ita sincerè* impetrat, sed propterea in alias *suspectas* consecutiones incidit: qui totus excedentium Hæmorrhoidum conspectus Pathologicus ita *cohæret*, dum hujus excessus *efficiens* causa non alia, quam *natura* humana est, *mediata* causa existit *augmentum tonici* motus pro *sangvine* non modo in genere expellendo sed & *copiosè* evacuando *proportionatum*; *finalis* causa est *superflui* & *molesti* sangvinis eliminatio: *accidens* hujus finis est, quod *excessivè* hæc evacuatio succedat: *impulsiva* causa est vel *moralis* vel *materialis* sive *physica* offensio & *commotio*, ob quam hic actus excretorius eò *impetuosius* celebratur: *error* vero, qui in hoc actu occurrit est *immoderata* & *impetuosa* aut *nimis diuturna* semel prævisi & præfixi finis prosecutio, ob quam actus in *salubritatem* corporis & emolumentum vitæ atque sanitatis susceptus & *generice* directus *excessivus* redditur: & hi quidem respectus nullas *præsuppositiones*, assimilationes aut *fictiones* continent, sed cum *actibus humanis*, quotidiè occurrentibus & diver-

ſis circumſtantiis conformibus exquiſitè & genuinè conveniunt: ubi denuò fruſtraneum erit huic pathologicæ conſiderationi obtrudere velle, quod minus perſpicua & evidens ſit, ſiquidem evidentia illius ex ipſa *indole animæ humanæ* & *quotidianis* functionibus *humanis* petenda eſt.

§. XXI.

Minimè itaque ſubſcribimus *antiquæ* illi opinioni, quaſi ſangvinis *acrimonia* in culpa ſit, cur Hæmorrhoides *excedant*, utpote quæ aſſertio multis modis veritati repugnat; quodſi enim ſangvis *verè* acris eſſe deprehendatur, neque tantum ex *hypotheſi* aut *imaginatione* acris ſit, tunc ob communiter cohærentem *ſpisſitudinem minus* aptus eſt ad *excesſivum* fluxum, quemadmodum ſangvis in perfectè *ſcorbuticis*, diuturnis *ſcabioſis*, *leproſis*, *hypochondriacis* confirmatis nunquam ſubtilis ſed *craſſus* eſt: deinde ipſa hiſtoria practica teſtatur; quod in talibus affectibus, in quibus certa & *vera acrimonia* ſangvinis adeſt, nulla *exceſſiva* Hæmorrhagia occurrat: quid quod mirari ſubit, cur ſuppoſita acrimonia tantum in loca *hæmorrhoidalia* & non in *alias regiones* operari debeat, cur tam *ſalutari* effectu *extra* corpus & non *intra* illud *aperturam* talem inducat, cur tam *exquiſita ætate* operari inchoet, cur non in *teneriores* partes operetur, cur per *animi pathemata* excitetur aut coerceatur, cur *aliæ acres* materiæ, quæ ad *inteſtina* pertingunt non *exceſſivum* ſanguinis fluxum cauſentur, cur *hæc acrimonia* æque ad *Hæmorrhoides* excedentes concurrat, dum Hæmorrhoides *legitimè* decurrentes *ſine* tali acrimonia erumpere & decurrere poſſint: cur in ſubjectis acri diæta *copioſè* utentibus *exceſſus* hæmorrhoidalis non obtingat &c. quod idem etiam valet de ſanguine nimia *tenuitate* prædito; quippe quæ cauſæ minimè ad *efficiendum* exceſſum hæmorrhoidalem ſatisfaciunt: interea minimè negamus, ſed modo demonſtravimus, quod nimia ſanguinis *fluiditas* & *tenuitas* cauſa *impulſiva* evadat, quo Hæmorrhoides *interdum*

excessivæ insequantur, siquidem in præcedentibus inter sanguinem nimis *tenuem* & *excessivum* fluxum hæmorrhoidalem aliam connexionem commendavimus: neque *nudi* motus *strictorii*, qui in systemate venæ portæ *vagantur* satisfaciunt pro Hæmorrhoidibus *expellendis* aut *fortuito* & per accidens protrudendis, dum minimè quilibet *vanus* talis motus huic actui *proportionatus* est, aliàs *colici* motus per *necessitatem* aliquam ejusmodi *eruptionem* inferre deberent, quod etiam de *hypochondriacis* & *hystericis* motibus & cruciatibus valet; qui sæpe satis *vehementes* sunt, neque tamen sufficiunt pro eruptione in *membranaceo* mesenterii & omenti plexu vel *unquam* nedum quidem *semper* inducenda: ex quo facile liquet, quod ad talem *particularem* eruptionem ab *intra extrorsum* contingentem non *fortuiti* motus & effectus conspirent, sed *proportionatæ* motuum applicationes requirantur, quæ *salubritati* futuræ, cum *justo* Hæmorrhoidum fluxu impetrandæ, respondent: *vagæ* enim commotiones spasmodicæ facilius *quaquaversum* premere & reprimere, quam ita *exactè* ad *ostiola* venarum apprimere possunt, quo *congrua* apertura exinde proveniat: neque denique *gravitas* & *ponderositas* sanguinis aut atonia partis aut sanguinis *inturgescentia* in venis veram formam *excessivi* Hæmorrhoidum fluxus exhauriunt, aliàs longe *teneriores* & perruptioni subeundæ *aptiores* venulæ in corpore occurrerent, quæ cum *lethali* eventu & *gravitati* & *turgescentiæ* sanguinis subjectæ essent, utpote quæ *obsoleta* traditio non ulteriorem declinationem meretur.

§. XXII.

Et quanquam *excessus* Hæmorrhoidum, qua talis, vitæ & sanitati obfirmandæ non directè quadret, sed subinde ad *anomalias* hæmorrhoidales sive illa *accidentia*, quæ Hæmorrhoidum fluxum *turbant* & legitimo suo *fructu* destituunt, pertineat, adeoque causa *pravarum* consecutionum fiat; tamen hoc ipsum non *indiscretim* contingit, unde *Il-*

luſtris Stahlius monuit, quod ipſi in experientia medica tales caſus *enormium* Hæmorrhoidum conſtent, qui *tanta* damna non intulerunt, qualia juxta communem *opinionem* recenſentur & *metuuntur*: quodſi vero ejusmodi Hæmorrhoides excedentes *repente* & *potenter* aut *ſimul* & *ſemel* per efficacia *adſtringentia* ſupprimantur, ſubinde etiam hæc adſtringentia ſedulò *repetantur*, communia *narcotica* conjungantur, ſanguis mox *magna* quantitate reparetur adeoque admodum *nutriens* diæta & *incongruum* regimen ſervetur, tunc eo certius atque citius *detrimenta* illa ſuperveniunt: & ſicut juxta communem obſervationem affectus *cachectici* & *hydropici* ſuperfluam Hæmorrhoidum profuſionem ſub talibus conditionibus excipiunt, ita hoc ipſum tali ordine contingit, dum ob magnam ſanguinis *jacturam*, quæ proximius *Venam portæ* reſpicit, *Hepar* ſufficienti & *neceſſario* ingreſſu ſanguinis privatur, ut propterea ejusdem poroſitas *concidat*, dum ob *defectum* ſufficientis quantitatis ſanguinis in legitima ſua *diſtenſione* haud conſervatur: quidquod evenit, ut pars illa ſucceſſivè *conſtringatur*, quod vero eò *certius*, citius, efficacius & *intimius* contingit, quando *adſtringentia* remedia ſine aliquo *moderamine* oblata fuere, unde ob hanc obſtipationem & *ſtricturam* principales hujus organi, quod vitalitati & ſanitati per *multiplices* uſus, plus quam ulla alia pars, inſervit & velificatur, functiones, nimirum debitæ *ſecretiones* & *abſterſiones* inquinamenti *bilioſi* & *ſeroſi* fatiſcunt, quod proinde humoribus firmius *innectitur* hosque magis *depravat*, ut affectus *cachectici* aliique *ſeroſi* exinde emergant; & dum ſub tali ſtatu præcipuè pinguis & gelatinoſa *lympha* ab hiſce *impuritatibus* magis alteratur & tam in craſi, quam *conſiſtentia* vitiatur, ut quoad illam *acris* & *ſalſuginoſa* evadat, quoad hanc vero *ſaponariam muceſcentiam* induat, ita eadem non modo ſucceſſivè in *particulares* regiones ſecedit, easdemque partes *eliquat*, emollit, flacceſcit & *tumefacit*, teſtimonio *œdematoſorum* affe-

ctuum

ctuum, sed & *tenera* sua vascula, per quæ ordinarie transfluere debet, distendit & denique penitus *disrumpit*, ut lympha illa postea in cavitates corporis sese effundat, atq; perfectè *hydropicos* tumores constituat, vel etiam alibi diversimode in *stasin* delabatur, sive in interno sive externo corpore & corruptionem *ulcerosam* assumat; aut quando valde *acris* reddita est, internas nobiliores & *teneriores* membranaceas, tunicaceas & glandulosas partes inficit & afficit & in iisdem similes *exulcerationes* excitat, quibus denique *hectica* supervenit: aut quando lympha ita *inspissata* & hoc causandi modo atque ordine depravata in partibus, secretoriis functionibus dicatis, obhærescit, tunc easdem *deobstruit*, actum *secretorium* & *præparatorium* vitalem magis lædit, refractariam *indurationem* & scirrhositatem inducit, adeoque juxta hanc demonstrationem Hæmorrhoidum *excessus* variarum periculosarum consecutionum causa evadit, quod vero non ita citò, facilè, certò atque constanter contingit, quando incommoda talis *adstrictio* non inducitur & viscera interna à suspecta illa strictura præservantur & præmuniuntur aut liberantur.

§. XXIII.

Posteaquam huc usque veram constitutionem excedentium Hæmorrhoidum, tam quoad *historicum* quam *causalem* suum conspectum, quantum quidem sufficere potest, exposuerimus, nunc series tractationis nostræ requirit, quo *methodum* excessivo huic fluxui *medendi* sive *Therapiam* subjungamus & juxta præmissa fundamenta & theoremata *pathologica* commonstremus, quo *moderamine*, qua prudentia & *dexteritate* tractari debeat, neque ex incongrua & inconsulta medicatione superius recensiti mali effectus & eventus superveniant: quo vero in hac cura artifex *securius* cedat & procedat, neve etiam ullo modo *excedat*, placet primo principales *cautelas practicas* præmittere & indicare à quibus conaminibus & medicaminibus

nibus

nibus in fluxus hæmorrhoidalis *excessu* constanter & prudenter *abstinendum* sit: cavendum itaque est ab *indiscreta* ordinatione *Venæ Sectionis*, quæ si administratur, quando Hæmorrhoides *modo prodigè* profusæ fuerunt, *vires* magis destruit atque enervat & ita *æquivocè* subvenit, dum artifex de *indubia* efficacia non satis certus est, de eo vero majorem certitudinem habet, quod si post usum venæ sectionis Hæmorrhoides non *subsistunt*, tunc ob majorem *penuriam* sanguinis periculosiores effectus insequantur: neque etiam *maturius* venam secare convenit, quia artifex non certus est, an Hæmorrhoides in *excessum* delabantur & an non proficiat, quo interdum paulo *largius* Hæmorrhoides succedant: quodsi itaque nulla necessitate urgente talis artificialis sanguinis subtractio instituatur, eo quidem tempore, quando Hæmorrhoides fluunt, tunc *liberiori* earundem successui non exigua *perturbatio* inducitur: porro cavendum est à qualicunque *acerbiori* alvi *provocatione*, nec non à *negligentiori* illius promotione aut actuali *oppressione* & incongrua *incrassatione* & exsiccatione: maximè vero evitanda sunt *adstringentia*, præcipuè *potentiora* & *intimius* efficacia atque *repellentia* & ogglutinantia, vel simul & semel alvum incrassantia, tanto magis vero à repentino & *præmaturo* aut *nudo* adstringentium usu abstinendum est: absint remedia *calida acria* communia & valde commoventia, *stomachica* vulgaria, quæ cum intentione viscera roborandi ordinantur, quo pertinent *concentrata* oleosa, *spirituosa*, *volatilia*, valde *aromatica* & qualiacunque alia *viis* & *humoribus* valde *impellendis* quadrant: absint vero vicissim positiva *refrigerantia* & qualitate tali suspectas *stricturas* conciliantia: omittantur vulgaria *narcotica* & motus confundentia atque turbantia: quidquod cavendum sedulò à facili, liberali aut *indiscreto specificorum* Hæmorrhoidum fluxui oppositorum usu, tum simplici tum repetito: nocent *topica* auxilia sensibilius *adstringente* qualitate efficacia: tanto magis vero nocent *simultaneæ* hujus fluxus cohibitiones, neque confert quando artifex post qualemcunque adstringentium usum *tantum* in hac adstrictione *acquiescit*, neque alia idonea & *intimioribus* strictu-

 tris

ris opposita auxilia ordinat: absint negligentiores tractationes post mitigatum excessivum talem fluxum hæmorrhoidalem aut nimiæ indulgentiæ, quoad irregularem *diætam*; maxime denique abstinendum est à *multitudine* experimentorum & nimia remediorum ingestione, quæ *exacerbatas* hasce commotiones hæmorrhoidales eò magis offendunt & refractarias reddunt.

§. XXIV. In curandis Hæmorrhoidibus *excedentibus veteres* medici non parum usui *externorum* remediorum attribuerunt, siquidem *suppositoriorum*, *fomentorum*, *cataplasmatum* adstringentium usus inter ipsos valde familiaris fuit: quemadmodum etiam juxta *Vidum Vidium de curatione Membratim Lib. 9. cap. 28. cucurbitulæ*, præcordio adhibitæ, *frictiones* brachiorum asperiores, *vincula* externis brachiis arctius applicanda, *insessus* adstringentes, *unguentum comitissæ* commendantur: uti *Rondeletius in Methodo curandi morbos cap. 23.* similiter *ligaturam digitorum* commendat, ut & *cucurbitulas supra jecur & lienem* apponendas: non minus *lithargyriata* & *terrea bolaria* remedia admodum usu recepta fuisse inter medicos antiquiores testatur, quid quod fuere quidam qui *deligationem* & *excisionem* venularum hæmorrhoidalium svadent uti *Riverius l. c.* allegat & ad *Hippocratis librum de victus ratione in acutis* & de *Hæmorrhoidibus* provocat & subinde historiam talem ex *Massaria lib. 3. pract. method.* proponit & recenset, quam methodum perinde antiquiores imitabantur, tanto magis cum *Andreas Cæsalpinus Lib. 8. art. med. c. 35.* asserat: quod *intestinum rectum multa talia tormenta ferre possit sine periculo, quia crassum est: conf. Severinus in efficaci mecina Pyrotechniæ medicæ Lib. II. p. 1. de Entopyria cap. 97.* sicut etiam juxta *Aetium Lib. 14. c. 6.* veteribus in usu fuit *tumentes* & *dolentes* Hæmorrhoides *exscindere* & dissecare, ubi tamen *Vidus Vidius l. c.* a *Celsi* suffragio *lib. 6. c. 18.* inductus, monet ne omnes venulæ hæmorrhoidales exscindantur, quia *Hippocrates Sect. VI. aph. 12.* dehortatur, ne *omnes Hæmorrhoides* sanentur: non minus *insessus aluminosi* & *thermæ* olim adhibebantur, sicut *Ioh. Ray. Fortis in Cons. & Resp. Med. Cent. II. obs. 99.* ini-

nixus monito *Hippocratis in libro de Hæmorrhoidibus* exuſtionem Hæmorrhoidum commendat, de qua dicit: *hoc genere remedii nos quoque frequentiſſimè in plurimis feliciſſimo ſucceſſu uſi*; proinde *Crato in Conſ. Medic. 206.* uſum *crepitus Lupi* extollit: & quanquam nobis minime animus ſit, ſingularia talia medicamina colligere & recenſere, quæ paſſim *exceſſivo* Hæmorrhoidum fluxui oppoſita conſtant, quorum largam ſeriem commemorat *Waltherus in ſylva medica*, illud tantum hoc loco indicamus, quomodo veteres medici cum hæmorrhoidali negotio paulo *craſſius* & *audacius* proceſſerint, idque interdum immodeſtius aggreſſi fuerint, licet nonnunquam bonas obſervationes de *fluxu* illo hæmorrhoidali commendaverint; & quanquam *Fortis* ille feliciſſimos ſucceſſus de ſuo experimento enarret, tamen vix hodienum, ubi hominum naturæ *ſenſibiliores* & *debiliores* utplurimum redditæ conſpiciuntur, experimenta talia cum *æquali* felici ſucceſſu adhiberi poterunt: inter alia vero ſingularia experimenta, quæ poſteritas recenſet, notabile eſt illud, quod *Ioh. Ludov. Frundek de Elix. arb. vitæ & Franc. Oſw. Grembs arb. integr. & ruinoſ. Lib. 2.* de ſudoris morientium cum linteis excepti efficacia mirabili in cohibendis Hæmorrhoidibus promittunt & quod *Baricellus Hortul. Genial.* de radice herbæ hæmorrhoidalis & *Bartholinus Hiſt. Anat. Cen: 3.* de radice Chondrillæ commemorant, de quibus experimentis omnino optandum eſſet, ut non modo *efficacia* ſint & promiſſis ſuis ſatisfaciant, ſed & quo *ſecure* uſibus hisce inſerviant; aliàs in medicina minime talibus remediis deſtituti ſumus, quæ Hæmorrhoides efficaciſſimè ſupprimunt.

§. XXV. Sed quo nunc ad *poſitivam* Hæmorhoidum excedentium curam deveniamus, ante omnia monemus, quod *temperatiſſima* maximeque modeſta medendi methodus ſeligenda ſit, ſiquidem negotium hæmorrhoidale ita *delicatum* atque facillimis *anomaliis* expoſitum eſt, ut vel leviſſima cauſa pro *turbis* eminentibus concitandis ſatisfaciat, quæ poſthac non ita facile emendari & placari poſſunt: unde mox vulgare illud artificum refugium intercipimus, quando ad *refra-*

ctam medicamentorum dosin provocant, quoniam etiam per *exiguas* doses *crassissimi* sinistri effectus produci possunt et proh dolor etiam solent: quo vero hic fluxus hæmorrhoidalis ab *excessu* liberetur, præstat omnino, quo artifex de *vero* tali excessu *certus* sit, ne ob *præmaturum* metum, quem interdum etiam falsæ & irritæ *speculationes* causantur, largiorem et *liberiorem* fluxum hæmorrhoidalem pro excessivo æstimet atque tractet; & si excessivus est, maximo studio caveat, ne *totum* fluxum hæmorrhoidalem *simul & semel* coërceat, neve *repente* & mox *primo impetu* per cohibentia & *adstringentia* remedia supprimat & obruat, sed *lenissima* methodo *successivè* ad illius *mitigationem* procedat: unde minimè svademus, quo cura mox cum *adstringentium* oblatione *inchoetur*: neque etiam in nostra methodo vulgaria *derivantia* & *revellentia* usurpamus, siquidem facile contingit, ut post Venæsectionis usum in *brachio motus* in *superiores* regiones redundent & si Hæmorrhoides subsistunt, vel actualis *vomitus cruentus* vel molimina eò spectantia aut motus *hæmoptyici* vel pathemata *cardialgica*, *asthmatica*, *hepatica*, *splenetica* &c. insequantur, unde à *dubio* tali tentamine derivatorio meritò abstinemus, & licet ejusmodi sinistris consecutionibus artifices prospicere velint, cum *præservatoria venæ sectione* subordinanda, tamen ex una parte consultius est, quo penitus eædem evitentur, in quo passu non necesse erit iisdem *præoccupandis* operam adhibere, ex altera vero parte nihilominus salutare imò necessarium erit *præservatorias* Venæsectiones ordinare, licet hæc derivatoria cura *non adhibita* fuerit: nos potius illam aliorum peritorum artificum indicationem præferimus, qua *tempestivè* alvi *apertio* & abstersio in justum ordinem reducitur, sed eo ipso *æqualis* motus in intestinis promovetur, & *particularis* illa restrictio, contumax & impetuosa ad loca hæmorrhoidalia resolvitur: unde veteres etiam medici *mitiora* & magis blanda *laxantia*, quam positiva *purgantia* commendarunt: ob id dissvademus, uti à *communibus* positivè purgantibus & *stimulantibus*, ita deinde etiam seorsim à curatorio usu vulgato *aloëticorum* & *helleborinorum*: remediorum minus vero inconsultò antiquiores medici selegerunt ejus-

modi

modi *leniores* evacuantes species, quæ post *evacuationis* effectum, temperatam *stricturam*, non vero sensibilem *adstrictionem* post se relinquunt: quare *Mercurialis* usum *Tamarindorum*, *Riverius & Vidius* usum *Myrobalanorum* & *Rhabarbari*, *Lælius à Font consult.* 98. præter has species etiam *Cassiam* extollit, quam etiam *Fortis conf. Cent. II. Conf.* 100 seligit & *tamarindorum* pulpam rejicit: nos hoc loco præferimus *Rhabarbarum*, quod præ reliquis probatum & securum est, & hoc vel in *substantia* vel in simplici *infuso* laudamus, non advertentes speciosas præparationes, cum simplicior usus *simpliciores* effectus producat: & tale quidem Rhabarbarum licet, si Hæmorrhoidum fluxus diuturniori successu excessum commiserit, *repetito* ordinare.

§. XXVI. Proxime vero accessus instituendus est ad *motuum* hac vice *immoderatiorum* & excedentium *temperationem* & *lenitionem*, quæ sine *præjudicio* & damno *legitimi* successus *hæmorrhoidalis* committi potest, ita quidem ut *excessus* coerceatur, debitus vero *successus* non obruatur & *supprimatur*: prior indicatio exercetur per remedia *absorbentia*, ante omnia vero per dextrum *Nitri* usum, ubi iterum *Nitrum* in substantia cum absorbente remedio & parca quantitate abstergentis sive *digestivi salis* mixtum ad *repetitos* usus ordinamus: neque quicquam impedit aut derogat, sed temperantem illum effectum suffulcit combinatio *cinnabaris*, dosi *temperata*: alias si *orgasticæ* commotiones concurrunt & *liberior* Cinnabaris quantitas exhibetur, eo magis auctiores illi motus *exacerbantur*: interdum etiam pro compescenda & moderatè tranquillanda tali commotione *spumefactoria* sanguinis *corallia rubra præparata* prioribus pulverulentis speciebus conjungi possunt: ad *demulcentia* & *lenientia* remedia referimus talia, quæ partim *alvum* placidè *abstergere* continuant, partim vias *strictas* leniunt: prioris classis sunt decocta *pruna* & *poma* & *succus* horum fructuum: posterioris constitutionis sunt *decocta mucilaginosa*, *gelatinosa*, *lacticinia* non vero valde spissa, ne nimium vias *incrassent*, adeoque lenitionis effectum præterfugiant: huc etiam referimus in subjectis *tenerioris* &

mollioris indolis, adeoque valde *ſenſibilibus*, necnon ubi modo admodum prodigè ſanguis effuſus eſt, & *vires* valde *languent*, *emulſiones* non valde pingues, neque nimium alimentoſæ aut ſaturatæ, ſed dilutiores, neque etiam è ſpeciebus *refrigerantibus*, ſed potius *lenientibus* & *analepticis* paratæ: *eximiæ* vero & ſingularis efficaciæ ad hæmorrhoidalem exceſſum non modo *temperandum*, ſed & in juſtum *ordinem* reſtituendum, ſunt *pillulæ balſamicæ Stahlianæ* quæ in hoc negotio abunde uſui & experientiæ ſatisfecerunt, ita ut iisdem *ſecure* uti liceat; optandum modo eſſet, quo laudatæ illæ pillulæ in tali caſu ad manus eſſent, ne in defectu earundem, aliæ quæ ſub hoc nomine circumferuntur, ingerantur, quarum poſteriorum effectus non niſi malus & doloſus eſſe deprehenditur, cujusmodi odioſa exempla paſſim proſtant, unde illi, qui hæmorrhoidarii ſunt & pillulis Stahlianis uti geſtiunt, bene ſibi proſpiciant, quo *genuinas* illas impetrent: neque peccant aut damnum inferunt, qui ſub *exceſſu* Hæmorrhoidum *aliquoties* pillulis illis utuntur: ſane conſtant nobis ejusmodi caſus, ubi patientes ob exceſſum Hæmorrhoidum & imminentem ſtatum modo cachecticum modo extenuatum & tabidum pro derelictis habiti & ultimis fatis commiſſi, benedicente Deo propitio per ſolum uſum earundem pillularum non modo a tali *funeſto* eventu præſervati, ſed & ab Hæmorrhoidum *exceſſu* liberati in juſtum fluxus hæmorrhoidalis *ſucceſſum* promoti & translati atque deſideratæ & integræ ſanitati reſtituti fuerunt, ut nullo adſtringente, tonico, roborante, evacuante vel ſopiente remedio opus fuerit, atque ſuſpecta ſymptomata, quæ aderant, iterum placide evanuerint.

§. XXVII. Quodſi vero necesſitas urgere videatur, quo præter hactenus commendata auxilia remedia *poſitivè* fluxum *cohibentia* conjungantur & adhibeantur, tunc *temperatiſſima* adſtringentia, poſt *præmiſſa* priora, ordinari poſſunt, è quibus commendamus pulverem è *cornu cervi uſto*, *coralliis rubris præparatis* & *nitro depurato* paratum, non minus concedimus uſum *Croci Martis antimoniati* ad exigua grana cum *abſorbente* remedio *ſale abſtergente* & Nitro combinati; cavendo ne

ni-

nimis frequenter exhibeatur: perinde admittimus *Tincturam Martis Tartarisatam* ad 30 guttas, aut *Tinct. Martis cum succo pomorum* paratam, aut *crystallos Tartari* leviter *martiales:* qualia remedia in *exigua* etiam dosi *nimium* Hæmorrhoidum impetum coercent: sed *dexteritas* & circumspectio illa adhibenda est, quo post talium remediorum usum, mox *temperantia, lenientia, diluentia, humectantia* & moderatè *laxantia* subjungantur: & quemadmodum in superioribus sedativa opiata remedia rejecimus, ita potius pro *secura sedatione*, huic excessui inducenda, ordinamus *Corticem Chaccarillæ*, cujus *pulverem* cum *corall. rubr. præparat.* aut *oculis 69.* cum *acido citri* saturatis remixtum, vel cujus *tincturam* cum *tinctura corticum aurantiorum* & *radicis Caryophillat. Essentia* remixtam approbamus: aut cujus *extractum* cum *extracto Helenii, Caryophillat. Gentianæ rubræ Centau. minor.* mixtum, additis duobus gran. *aloës* correctæ, dimidio gr. *extracti millefol.* pro eodem scopo convenit: ita etiam ad coercendum nimium *impetum* circa *Venam Portæ* succedentem & subinde ad refrænandam excessivam profusionem hæmorrhoidalem conducit *Millefolium* cujus *Essentia* cum *Essentiis* temperatioribus *carminativis* & *Ess. Chaccarillæ* maritata ad 30 aut 40 gt. exhibita eosdem usus offert: & licet hoc Millefolium pro effectu tali inducendo admodum quadret, tamen subinde maxima *circumspectio* adhibenda est, ne ex *liberali* illius usu simul & semel Hæmorrhoides *opprimantur*, aliàs *pessimos* effectus post se trahit; quare convenit illud *modestè* & *parcè* neque nimis frequenter adhibere, deinde etiam expedit illius usui remedia *temperantia* & *diluentia*, ut & *laxantia* subordinare, ne suspectam *stricturam* post se relinquat: utpote quæ Essentia Millefolii tunc magis conducit, quando cum ejusmodi excessu hæmorrhoidali *colici* & intensius *strictorii* effectus complicantur: quodsi etiam per prædicta temperantia, lenientia & demulcentia remedia, citra adstringentium & tonicorum medicamentorum usum *primus impetus* excessivæ hujus profusionis in tranquilliorem statum redactus fuerit, tunc potius ab adstringentium subordinatione dissuademus & commendamus usum *Tincturæ Antimonii Tartarisatæ* cum *Spiritu Cornu Cervi* remixtæ, quæ *tonicâ* suâ efficaciâ *ulteriorem* excessum præscindit; cavendo denuo ne in usu ejus aliqualis *excessus* committatur: denique etiam verbum injiciendum est de illis famigeratis *specificis antihæmorrhoidalibus*, quæ penus materiæ medicæ ad cohibendas Hæmorrhoides tum *in genere* tum etiam si *excedunt*, proponit atque commendat: sunt hæc specifica ita constituta, ut in exiguis granis *efficacissimè* sed etiam *tenacissimè* Hæmorrhoides *destruant* & *deobstruant*, sed eo ipso *minus secure* operentur, adeoque *periculosissimis* consecutionibus ansam præbeant: hinc eadem minimè commendamus, sed ab usu eorundem admodum dehortamur: sunt vero Dens Hippopotami [cujus vim sanguinis fluxus sistentem passim authores commemorant] Lapis Manati & Priapus Ceti, de quibus spe-

ciebus passim authores mira, sed fabulosa etiam prædicant: illud interim certum & indubium est, quod Hæmorrhoides *potenter* cohibeant.

§. XXVIII. Quando excessivus hic Hæmorrhoidum fluxus juxta hactenus commendatam methodum *mitigatus* est, tunc præstat *in futurum* & *præservatorio* scopo interdum *alvum* per prædicta *rhabarbarina* remedia laxare, proinde etiam præservatorias sanguinis artificiales *imminutiones* per *Venæ Sectionem in pede* adhibere & illas *offensiones* atque commotiones sedulo evitare, quæ in *diæta* & *regimine* ad Hæmorrhoidum *excessus* vulgò quadrant, qualia consilia in *Disputatione de Hæmorrhoidariorum regimine & diæta* suppeditata sunt: maximè vero animus *continentiæ* studere debet; quemadmodum aliæ præcipuè vero *diffusæ* & *confusæ* medicationes evitandæ sunt, imprimis vero aloëtica *vulgaria* remedia & singula illa subjecta omittantur, quæ *intestina* afficiunt, & *affluxum* humorum ad eadem provocant: interim *temperies* in omni actione sollicitè servanda est: quodsi vero contigerit ut Hæmorrhoides ob *hæreditariam* dispositionem aut rationem *consuetudinis* in excessum delabantur, tunc eo major circumspectio adhibenda est, ne *facilè* nedum quidem *repente* & *simul & semel* supprimantur, sed *successivè* ab hoc *excessivo* motu avertantur: proinde conveniunt *præservatoriæ Venæ Sectiones* & illæ quidem justis temporibus *repetendæ*, maturè vero suscipiendæ, quo præoccupent, ne *pristino* impetu natura sanguinis *exonerationem* cum tanto *excessu* suscipiat; quidquod conducit, quo præservatoriè *biliosa* inquinamenta è *primis viis* educantur, ne eadem ad novas commotiones hæmorrhoidales ansam præbeant, unde *moderatæ laxationes* interdum commendandæ sunt: quidquod porro proficit eodem *præservatorio* fine ordinare *temperantia* adminicula, quæ partim *orgasticam* sanguinis commotionem præoccupant & tempestivè mitigant, partim colluviem *biliosam* in intestinis & reliquis primis regionibus obhærescentem, *abstergunt*, ut & imminentes impetuosas *congestorias* commotiones hæmorrhoidales tranquillant & intercipiunt: interdum etiam usurpanda sunt *pediluvia*, quæ motus à locis hæmorrhoidalibus *placidè* avocant: omnium maximè vero conducit *moderamen* in actionibus *moralibus*, ut & in *diæta* & *regimine*: aquarum *mineralium* usus in singulo Hæmorrhoidum excedentium statu non est *securus*, neque etiam *probatus*: minimè vero de reliquo corpori subtrahenda est sufficiens *humectatio* per potum convenientem, neque nimis *sedentarium* vitæ genus seligendum est, *motus* vero corporis sit perinde *sufficiens* attamen *moderatus*: Et plura hac vice addere non lubet, quia in diversis dissertationibus practica tractatio negotii hæmorrhoidalis, quantum sufficit commendata fuit: nos denique vela nostra contrahimus, posteaquam hoc negotium *Hæmorrhoidum excedentium* tum quoad *generalem* suum conspectum, tum quoad *Historiam*, *Pathologiam* & *Therapiam* abunde explicavimus. Ad Deum vero nos iterum convertimus, cui laudes & grates devotas tribuimus, quod ad hanc materiam pertractandam necessarias vires nobis suppeditaverit, cui etiam vicissim hunc laborem consecramus, eundemque supplices precamur, ut hoc exiguum nostrum specimen ita beet, quo sub salutari applicatione & afflictionis humanæ consolatione Nomen Domini perpetuo honore celebretur.

(o)